Suppl./p

Suppl. Bibliothecae Gotthanae

IO. GEORGII LOTTERI DE VITA ET PHILOSOPHIA BERNARDINI TELESII COMMENTARIVS

AD INLVSTRANDAS HISTORIAM PHILOSOPHICAM VNIVERSIM ET LITTERARIAM SAECVLI XVI. CHRISTIANI SIGILLATIM COMPARATVS

LIPSIAE

APVD BERNARD. CHRIST. BREITKOPFIVM

ANNO cIↃ IↃ CC XXXIII

1757/P

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

326400

SVMME REVERENDO CLARISSIMOQVE

VIRO

CHRISTOPH. AVGVSTO HEVMANNO

DOCTORI AC PROFESSORI THEOLOGO ET GYMNASII REGII APVD GOTTINGAM INSPECTORI

S. D

IO. GEORG. LOTTERVS

Quod per alias hactenus occupationes commode ſatis fieri haud potuit, vti ad TVAS, FAVTOR OPTIME, amantiſſimas, nupero menſe Aprili perſcriptas, reſponderem, hoc facio in praeſens demum; ſed ad priuatas, publice. Erit inde, ſpero, parata apud TE morae iſti venia, iunctumque, et inſigni TVO nomine praeſcriptum, Hiſtoriae *meae* Teleſianae *qualecumque munuſculum haud difficulter illam excuſabit. Libenter TIBI, ac pridem, debebam ſimilis generis ſignificationem, ex qua et aliis conſtaret, quo loco mihi tum virtus TVA, doctrina*

ac merita ab longo inde tempore habita ſint, tum vero amicitia, aliquot retro annis per litteras ſubinde ſuauiſſimo meo cum ſenſu culta, etiamnum habeatur, et habenda ſit in poſterum. Beatum me exiſtimabo, ſi, illam TE non dedignatum, vti es humaniſſimus, fuiſſe, et aliquam ſaltim ex legendo libellum iſtum, TVIS etiam ſymbolis locupletatum, voluptatem percepiſſe aliquando cognouero. Vale, VIR CELEBERRIME, et res TVAS, Chriſtianae ac eruditae ciuitatis commodo, feliciter age. Lipſiae, ipſis Kalend. Aug. anni Dionyſiani

CIↃ IↃCC XXXIII

AD

AD LECTOREM

Hiſtoriam Philoſophicam tum proprio quaſi quodam atque naturali impetu, tum praeſtantiſſimorum aeui noſtri hominum exemplis, ſtudio non omnino extemporali multis abhinc annis perquiſitius excolenti mihi nemo fere frequentius occurrit ARISTOTELE, Stagirita; quo, dubium puto, an vllum aliud mortalis nomen omnium ore ac calamo magis celebratum exſiſtat in litteraria ciuitate vniuerſa. Conſenſit cum naturae benignitate, quae diuinum prorſus in ipſum contulerat ingenium, et quod vulgarem ſortem longiſſime ſuperaret, fortunae clementia; atque, vt non latiſſima tantum, ſed et maxima, fama frueretur, communis aliquando humani generis doctoris faſtigium conſequutus, effecit; vnam exiſtimationis huius conſtantiam largiri non potuit. Varia enim illa, et, vt comparatae ſunt humanarum rerum rationes, fluxae, mutabiles, caducae, inſtabilis admodum,

quin immo toto, quod aiunt, caelo diuerſa, interdum ipſi contigit. Quem aliorum iſta aetate plauſus in tantum, ipſisque fere ſuperis inuidendum, auctoritatis gradum euexit, vt inter caelites ſupra martyres conlocarent, vt CHRISTI Seruatoris praecurſorem dicerent, vt placita tamquam ipſius naturae leges ſuſpicienda et diuinis comparanda oraculis cenſerent; hunc alii iterum alio tempore ita depreſſerunt, vt, veluti atheorum anteſignanum, mortaliumque, qui vixerunt vmquam, omnium peſtilentiſſimum, pedibus quaſi conculcandum abiiciendumque penitus, ſtatuerent. Eleganter haec praeter LAVNOIVM, VALCHIVM, ELSVICHIVM, et forte alios, qui ſingularibus ſcriptis *variam* ARISTOTELIS *fortunam* docte expoſuerunt, atque ſummatim complexus eſt IVSTINIANVS PIGLIARINI in *Oſſeruazioni iſtoriche ſopra alcuni paſſi del Quadrireggio di* FEDERICO FREZZI, Fulginii 1725. 4. editis, p. 199. vbi ita: *Ben ſi ſà con quante varie vicende ſia ſtato riceuuto il di lui nome*, (ARISTOTELIS ſcilicet,) *e la ſua dottrina pel corſo di tanti Secoli nelle Scuole: ora ammirato e venerato quale oracolo, ora depreſſo ed auuilito ſino à brucciarſi publicamente i di lui libri, e proibirſene la lettura con pene di Cenſure ſecondo i decreti del Concilio Senoneſe.*

Vſi

Vſi interim ſumus tanto libentius in hoc argumento, non inſcitò *Itali* hominis teſtimonio, quum aliquid praefandum iam ſit *Hiſtoriae Philoſophi* cuiusdam, itidem *Itali*, atque ex hac gente Αριϛοτελομαϛιγος principis, BERNARDINI TELESII; qui, quantum conſtat, primus omnium, magnis profecto auſibus exemploque, tum in aetate iſta, tum natione, rariſſimo throno mouere *Stagiritam*, quem per immemorabile fere tempus Αυτοκρατωρ ipſe in ſapientiae regno tenuerat, ſaeculo Chriſtiano XVI. decurrente inſtituit.

Fuit hoc certe integrum *ſextum decimum* a Chriſto nato *ſaeculum*, ſi qua vmquam temporum periodus alia, philoſophi auctoritati et nomini minime ſecundum. Sub illius etenim *initium in Germania* MARTINVS exſtitit LVTHERVS, qui, licet ipſe primum in Academia Vitembergenſi publico ſtipendio Peripateticas doctrinas ſtrenue profeſſus fuiſſet, poſtea tamen adeo aduerſo in ARISTOTELEM animo eſt adfectus, eiusdemque *de moribus* potiſſimum *Philoſophiam* adeo habuit exoſam, vt clam primum epiſtolis, iam circa annum CIↃ IↃXVI. exaratis, mox vero etiam palam, tam voce, tam ſcriptis, ceu nauci floccique hominem damnaret, quin penitus Chriſtianorum ſcholis exeſſe vellet.

Nemo

Nemo eſt rerum, quae in humanae ſapientiae conſectatione geſtae ſunt, adeo ignarus, vt non meminerit, quas circa *medium* fere eiusdem ſaeculi in *Gallia* turbas dederit, ſibi ipſi tamdem funeſtas ac ferales, PETRVS RAMVS, Profeſſor regius Pariſienſis, vir excellentiſſimi ingenii, liberius paullo, vulgatis an. CIↃ IↃ XXXXV. *animaduerſionibus Ariſtoteleis*, aliisque poſt haec, vno pluribus, ſimilis farinae libellis philoſophum inſectatus, bellaque, quae hinc exorta fuerint, atrociſſima; et quod, non intactis quidem omnino reliquis *Philoſophiae Ariſtoteleae* partibus, illam tamen praecipue in Peripato traditam diſciplinam explodendam ſibi ſumſerit, quae humanam mentem ad ſolidam rerum intelligentiam dirigit atque informat, honeſta hinc *Logices* adpellatione pridem exornata.

Periodo tamdem eiusdem ſaeculi ad *finem* propius accedente in *Italia* exortus eſt, quem diximus, BERNARDINVS TELESIVS; qui aequali cum LVTHERO ac RAMO et animi et calami libertate generoſo ſpiritu *tyrannidis Ariſtoteleae* iugum excuſſit, et *Phyſica* in primis Peripateticorum ducis dogmata, ſcriptis haud vno libris impugnare, impugnata reiicere, et reiectis *propria* tamdem *principia* ſubſtituere atque in publicam lucem vulgare ſuſtinuit.

LV-

LVTHERI atque RAMI *conatuum*, et, qui illos inſequuti ſunt, effectuum admodum variorum *Hiſtoriam* itidem multi iam inter eruditos ſingularibus commentariis expoſuerunt legentium curioſitati, ideo non operoſius hoc loco adpellandi, quod triti ſint fere et in ipſum vulgus cogniti. De TELESIO tamen, qui idem ſimili inſtituto efficeret, inuentus eſt, quod quidem ego ſciam, hactenus nemo; licet meruiſſe videatur ingenuae mentis praecellentisque ingenii philoſophus, vt nomen ipſius commendaretur *Hiſtoriae Philoſophicae* vniuerſim, aut *litterariae ſaeculi XVI.* ſigillatim, ſtudioſis cultoribus. Conſtat equidem ex MORHOFII *Polyhiſtore*, MARTINVM FOGELIVM, Logices et Metaphyſices in Gymnaſio patrio Hamburgenſi quondam Profeſſorem clariſſimum, et *acerrimum*, quod ait MORHOFIVS, *naturalis Hiſtoriae indagatorem*, meditatum fuiſſe aliquando ſingularem librum *de Phyſicis Italis*; in quo dubio procul *de* TELESII quoque *conaminibus* ſollerter atque cum cura dicturus fuiſſet. Conſtat vero ſimul, propter immatura viri fata laborem hunc penitus intercidiſſe; adeoque derelictam adhuc ſcribendae HISTORIAE TELESIANAE prouinciam merito potuiſſe exiſtimari.

Mouit me haec res, vt, dum ante hos ſeptem fere annos ſpecimine aliquo publico in inluſtri hac Academia maiorum more artium et philoſophiae doctoris titulum et cathedrae iura ab ampliſſimo philoſophorum ordine non multo ante tributa vindicare mihi adlubeſceret, ego praeter alia hoc potiſſimum argumentum ſcribendi materiam deligerem, et ſectanda, qua poſſem, virorum noſtra tempeſtate celeberrimorum, IOANNIS ANDREAE SCHMIDII, GODFRIDI OLEARII, IOANNIS FRANCISCI BVDDEI, CHRISTOPHORI AVGVSTI HEVMANNI, FRIDERICI MENZII, GOTTLIBII STOLLII, IACOBI VILIELMI FEVERLINI, IOANNIS DAVIDIS KOELERI, CHRISTIANI GOTTLIBII IOECHERI, aliorumque plurium, qui itidem *Academicis lucubrationibus* de variis variorum temporum, gentium, ſectarumque Philoſophis diſſeruerunt ſigillatim, veſtigia proponerem, conſcripta, et pro ſuggeſtu anno CIↃ IↃ CCXXVI. ad diem XXVIII. menſis Auguſti, commilitone humaniſſimo tum iuuene, GEORGIO GOTTLIEB STEINERT, ex Hermunduris, defenſa *diſſertatione Hiſtorico-philoſophica* de BERNARDINO TELESIO. Tulit haec opella qualiscumque eruditorum plurium in hoc ſtudiorum genere exercitatiſſimorum honeſta, et publica etiam

iam ſuffragia; de quibus tanto magis nobis gratulamur, quanto minus olim defuere, qui leuem atque ignobilem operam exiſtimarent *memoriam hominis exteri* inſtaurauiſſe, de quo vel centeſimus quisque inter eruditos vix fando vmquam inaudiuiſſet.

Factum eſt interim, vt inſtituta horis ſubciſiuis omnis generis ſcriptorum lectio ſubinde quaedam ſuppeditaret ad augendam perficiendamque amplius *Hiſtoriam* hanc *Teleſianam* pertinentia. Quae, quum ſtudioſe in futuros vſus adnotaremus, animum ſubiit cogitatio retractandi per otium Commentationem noſtram, eamdemque in *Hiſtoriae Philoſophicae amatorum* commoda diuulgandi iterum; quibus et haec, exilis licet, *Antiperipateticorum Hiſtoriae particula* non iniucunde fortaſſis intimius cognoſcetur. Quid? quod *eruditam* vniuerſim *ſaeculi decimi ſexti*, ingeniorum praeſtantiſſimorum prouentu longe foecundiſſimi, quae inter non poſtremum locum *Teleſii* virtus promeretur, *Hiſtoriam* nouo ſic quodam a nobis monimento adauctam non inlibenter agnoſcent aequi atque intelligentes rerum exiſtimatores.

Acceſſit his nouum vrgendi huius inſtituti incitamentum. Cognouimus ſcilicet, luculento quodam, vel nuper admodum, ſpecimine, ipſos

ipſos etiam *Italos*, quantumuis hodie *patriae ſuae Hiſtoriam litterariam* aemulo laudatiſſimoque ſtudio, ingenti in dies iſtius commatis auctorum numero in lucem prodeunte, excolendam ſibi ſumant, nullam tamen, vel exiguam certe, TELESII rationem habere, eo etiam loco, vbi haberi tamen omnino debuiſſet. Ita recens, verbi cauſſa, *Synopſis Hiſtoriae Philoſophicae*, cetera non ineruditus, conditor, IOANNES BAPTISTA CAPASSVS, Neapolitanus, Philoſophiae et Medicinae doctor, cum in libri, hoc, quem diximus, indice praeſcripti et *Neapoli* CIƆ IƆCCXXVIII. 4. impreſſi, ſectione IIII. Cap. VII. quod *de Anti-Scholaſticis et Anti-Peripateticis* adpellat, p. 348. etiam de TELESIO dicendum ipſi fuiſſet, hoc vno opere omnem ſuum laborem, egregie ſcilicet, abſolui putauit, quod IOANNIS IMPERIALIS *Elogium Teleſianum* quo *neminem melius vel exactius*, TELESII, *non minus litteris, quam ſanguine nobilis, vitam et doctrinam deſcripſiſſe* ille quidem exiſtimat, ex *Muſeo* eiusdem *Hiſtorico* repetitum ad verbum in ſuam *Synopſin* transtuliſſet. Deluſi itaque ac inanes a CAPASSO iterum recedant oportet, quotquot inſignis Philoſophi in *Hiſtoria Philoſophica*, et, quod magis adhuc eſt, clariſſimi *Neapolitani* apud ciuem *Neapolitanum*,

notitiam curatiorem requirunt. Hoc idem vero, inquam, eſt, quod pergere in tramite ſemel inſtituto tanto alacrius impulit, atque obſequi *monito Verulamiano*, ad ipſum Commentationis praeſentis veſtibulum conſiderate poſito, in *Elogii aridi ac ieiuni* vicem luculentam tum *vitae* tum *doctrinae Teleſianae* hiſtoriam exhibiturum.

Procul interim ab illa perſuaſione abſumus, ac ſi ita integram meſſem confeciſſemus, vt nullum aliis amplius relinquatur ſpicilegium. Inſipidi hoc eſſet cogitare hominis, et ignari ſimilium argumentorum rationis, quae vnius induſtria numquam plane exhauriuntur. Agant hoc igitur, quibus volupe eſt, alii; nos exemplo in praeſenti vel vnico praeibimus. Incidit ſcilicet, vel his demum diebus, in manus noſtras, Poema Philoſophicum THOMAE CAMPAILLA, nobilis Siculi, quod inſcripſit: *Adamo, ouuero il mondo creato*, cum Hiſtoria creationis vniuerſam doctrinam naturalem, ad *Lucretii* inter Romanos, et *Empedoclis* inter Graecos, inſtar Italico carmine, docto, eleganti, iucundo complexum, et impreſſum *Meſſanae Siculorum*, anno CIƆ IƆ CCXXVIII. forma maxima. In huius *Cantu* V. cui titulum fecit Bibliotheca, fingit auctor, caeleſtem genium, *Raphaelem*, *Adamum* in Paradiſo de potiſſimis Philoſophiae futuris fatis edocentem, et, poſtquam multa de ARISTOTELE

 eius-

eiusque in praeſtantiſſima multorum ſaeculorum ac gentium ingenia exercenda tyrannide praemonuiſſet, loqui illum facit de *Inſtauratoribus Philoſophicae libertatis*, vbi numero XLV. fol. LIIII. haec ſigillatim *in* TELESII *laudem* magnifice ſatis dicta occurrunt:

Vedi fra ſuoi Diſcepoli ripoſto
Il ſiſtema *gentil* Teleſiano.
Noui principj al natural compoſto
Ei con ingegno aſſegnera ſouurano;
Ed a' Licei del Peripato oppoſto
La ſtima gli (ARISTOTELI) *torrà del Volgo inſano;*
Deſingannate auuezzerà le genti,
Liberi à propalarne i ſentimenti.

Sed, manum de tabula. TV, vale LECTOR, et feliciter age. Lipſiae a. d. XXIIII. Iulii anni Dionyſiani CIƆ IƆ CC XXXIII.

VNI.

VNIVERSI OPERIS DIVISIO

✡

CAPVT PRIMVM
DE VITA FATIS ITIDEM ATQVE SCRIPTIS TELESII

I Eius *patria Conſentia*; *genus* auitum, vetuſta *nobilitate inclitum*; annus *natalis*.

II *Educatio* puerilis ac *ſtudia mitiora Mediolani*, ANTONIO TELESIO, patruo, duce, gnauiter exculta.

III *Roma* poſt haec per duos fere annos frequentata, et *carceris*, quod inſons ibi paſſus eſt, *infortunium*.

IIII Seueriora *philoſophiae* ſtudia *Patauii*, praeceptoribus clariſſimis, maxime FRIDERICO DELPHINO et HIERONYMO AMALTHAEO, feliciter tractata, ac, *doctoris* lauru impetrata, finita.

V Reditus *Romam*, et *amici*, quos ibi doctrinae ſtudio conciliatos coluit; VBALDINVS praeſertim BANDINELLVS et IOANNES DELLA CASA.

VI Gratia, qua apud PAVLLVM IIII. Pont. Max. floruit, inſignis, et *Archi-Epiſcopi Conſentini* ſplendida *prouincia* oblata.

VII *Matrimonium Conſentiae* cum DIANA SERSALI, nobiliſſima femina, initum et *triplici prole maſcula* fecundum.

VIII Poſt *fata vxoris ſeceſſus* in praedium rurale; huiusque *fructus litterarii*, duo *de natura rerum* libri, et ſcriptiones quaedam aliae.

VIIII *Nominis celebritas* ac fama inde comparata praecipue apud *Neapolitanos*.

X Sedes *Neapoli* ad tempus fixa, ibique, *Academiae* nomine, *Societas* aliqua *litteraria* in *phyſices* doctrinae commodum atque incrementum inſtituta.

XI *Vitae* ad longam aetatem prouectae *terminus*.

XII *Scriptorum* luculenta *enumeratio*, primique Capitis concluſio.

CA-

CAPVT SECVNDVM

DE PHILOSOPHIA TELESII ADVERSARIIS ITEM ATQVE HYPERASPISTIS

I De philoſophia TELESII ante nos dixerunt VERVLAMIVS, SORELLVS, MORHOFIVS, CRENIVS.

II. Inter *Nouatores* pariter atque *Inſtauratores* locum obtinet TELESIVS. Obiter, quid *Nouator* in Philoſophia, quid Inſtaurator? item de PARMENIDE eiusque principiis, quae is recoxiſſe dicitur.

III De pretio quod TELESIVS *ſenſui* ſummum conſtituit in inquirendis *rerum naturalium cauſſis.*

IIII *Principia* rerum naturalium conſtituit *tria: Calorem, frigus, materiam.* Hinc exſiſtunt duo corpora primaria, *caelum* et *terra.*

V *Caloris* in *caelo*, *frigoris* in *terra* ſedes praecipua. Poſterioris huius principii naturam obſcurius deſcripſit TELESIVS, ſuppletus hinc a VERVLAMIO.

VI Perpetuum *principiorum bellum*, ex quorum continuo *conflictu* ortum trahunt *corpora*, quae *terra* fouet, vniuerſa.

VII De *caelo*, et, quae illud continet, *corporibus* quid ſtatuerit?

VIII Quid de *rerum ſublunarium* plurimis? Adduntur reliqua ipſius *Philoſophiae momenta* potiora.

VIIII *Philoſophiae Teleſianae* modeſta Επικρισις: tum *laudes*, tum *vitia* ipſius, complexa.

X Eiusdem *aduerſarii*, qui quidem *publicis ſcriptis* illam impugnare adgreſſi ſunt; IACOBVS ANTONIVS MARTA; ANDREAS CHIOCCVS; IANVS CAECILIVS FREY; et *ineditus* denique adhuc, idemque ψευδώνυμος ſcriptor, SOLINVS ANTONIVS MANTVANVS.

XI *Hyperaſpiſtae*: THOMAS CAMPANELLA; FRANCISCVS PATRITIVS; ANTONIVS PERSIVS; SERTORIVS QVATTROMANI; quin omnes *Academiae Conſentinae*, ſiue *Teleſianae*, *ſocii.*

XII IOANNIS BAPTISTAE MARINI atque IVLII RONCONII in TELESIVM *Epigrammata.*

DE

VITA ET PHILOSOPHIA

BERNARDINI TELESII

COMMENTARIVS

VERVLAMIVS
DE AVGMENTIS SCIENTIARVM
LIB. II. CAP. VII

De *vitis* cogitantem, ſubit quaedam admiratio, tempora iſta *noſtra* haud noſſe bona ſua; quum tam *rara* ſit commemoratio et *conſcriptio vitarum* eorum qui *noſtro* ſaeculo claruerunt. Non defuerunt *viri* egregii, qui *meliora merentur* quam *incertam* et *vagam* memoriae ſuae famam, aut *Elogia* arida et *ieiuna*.

CAPVT I

DE

VITA FATIS ITIDEM ATQVE SCRIPTIS TELESII

I

Eius patria Conſentia; genus auitum vetuſta nobilitate inclitum; annus natalis.

CONSENTIA, vulgo Italo *Coſenza*, vetus illa atque celebratiſſima Calabriae ſuperioris, quae regni hodie Neapolitani principatus eſt, metropolis, veluti aliis nominibus plurimis ſui famam per terrarum orbem paſſim extendit; ita *virorum* potiſſimum ingenii laude ſcriptisque *celebrium*, quos ex ſinu quaſi ſubinde ſuo inſigni prouentu produxit, praeter alias iſtius regionis vrbes ſemper floruit. Vnus NICOLAVS TOPPIVS, lucu-lento opere, Italica lingua condito, et *Biblioteca Napoleta-*

na a) inſcripto, elenchum *eruditorum*, qui *Neapolitanum* regnum natale ſolum agnoſcerent, complexus *ſexaginta duos Conſentinos* laudat, quos Muſa mori vetuerit. Hos inter vero licet non inficiemur fortaſſis exſiſtere, qui humilioris ſint ſubſellii, adeoque vel ipſis ſuis ciuibus, nedum exteris, hodie obſcuri; ſunt tamen etiam qui aetatem tulerint, et poſterorum elogiis adhuc celebrentur. ſuo merito. Familiam in his facile ducere BERNARDINVM TELESIVM b) cuius memoriam praeſenti Commentario tradere ac ſeruare conſtitutum nobis eſt, non ſine veri quadam ſpecie dixerimus; quem quippe *Conſentiae* anno *milleſimo quingenteſimo octauo* in lucem editum fuiſſe indubiis plane argumentis auctorumque conſpirantibus ſuffragiis conſtat. *Parentum* equidem, quos habuit, nomina inops ſcriptorum obliuio deleuit; illud interim exploratiſſimum eſt, *proauis* gauiſum fuiſſe quos generis non minus vetuſtas quam litterarum atque virtutis ſtrenuum exercitium *nobiles* c) reddiderat praeter alios.

a) Prodiit *Neapoli* 1678. forma maxima, *acceſſionibus* ad calcem aucta LEONARDI NICODEMI; quamuis ſint qui FRANCISCVM potius, LEONARDI fratrem germanum, earumdem auctorem adfirment, et hunc nomen tantum ſuum operi commodauiſſe arbitrentur. Sed haec iam non diſquirimus. Ceterum fruſtra nobis inquiſitus eſt hactenus BARTHOLOMAEI CHIOCARELLI *de inluſtribus regni Neapolitani ſcriptoribus* liber, de quo tamen num vel editus reuera in publicum exſiſtat, etiamnum fere dubitamus; veluti et alius FABRICII CASTILLIONEI, inſcriptus *de Patritia Conſentina Nobilitate monimentorum Epitome*, atque editus *Venetiis* MDCCXIII. apud Hieronymum Albritium. Vterque citra dubium *Teleſiorum* quoque decora dedita opera celebrauit; quos, cui datum eſt, lector conſulat.

b) Aliqui BERNARDVM, non BERNARDINVM; item TILESIVM, quin THILESIVM et THYLESIVM vocant et ſcribunt. Illud minus recte fieri apertum eſt. Hoc vero quamuis non ſine omni, *Italorum* praecipue, exemplo fiat; nos tamen, quod et conſtantior ſit TELESII ſcriptio, et in ſingulis *noſtri* libris, quos quidem ille viuus, et ſuo ſtudio excudendos curauerat fere omnes, obuia, merito ſeruaſſe illam nobis videmur. Indicandum interim hoc fuit, ne *plura ex vno* homine *πρόσωπα*, vulgari ſatis imperitorum vitio, quis effingat, orthographiae diſcrepantia inductus.

c) Editus eſt *Neapoli* anno MDCCXXV. in 4. apud Felicem Moſcam, liber auctore *Elia de Amato*, monacho Carmelita, inſcriptus: *Pantopologia Calabra*

bra, in qua celebriorum eiusdem prouinciae (Calabriae) *locorum virorumque, armis, pietate, titulis, doctrina, ſanguine illuſtrium monimenta expenduntur*, et recenſitus a nobis in *Actis Eruditor.* Supplem. Tom. X. Sect. VII. p. 289 - 292. Hic, quum rarius inter nos quidem occurrat, iuuat inde *Teleſianae gentis* laudes p. 126. ſ. obuias ad verbum deſcribere: THELESIA GENS, inquit, *antiquitate, ſanguine, litteris, inſignibus ac titulis glorioſiſſima, Melicucciae, Ceriſani, Marani, Caſtrifranci, S. Agathae, Bonifati, Mattafalloni, S. Soſti et Theleſiae Marchionatus, Principatus ac Baroniae teſſeribus* (forte teſſeris) *dominata plures edidit Heroas, Regios Conſiliarios, Tribunos, Legatos, Cubicularios, regali munificentia praeclaros. Inter quos* GVILLELMVS, *Seminariae dominus, in litteris impenſe eruditus.* NICOLAVS, *omnigena Scientia inſtructus, qui* de Venetiarum laudibus *Monimenta dulci poemate concinnauit, Conſiliarius Ludouici III. ac reginae Ioannae II. amantiſſimus.* IOANNES BAPTISTA, *inter Poetas Hetruſcos ſtylo et metro ſublimis.* THOMAS, *Conſentinae Eccleſiae Praeſul emeritus, Coſimo Magno duci Etruriae charus ac in aula Romana optime viſus, et demum* ANTONIVS *et* BERNARDINVS, *duo Poli litterarii orbis, duo ornamenta ac aſtra primae magnitudinis Brettiorum.* Teſtis huic ſuffragatur etiam IOANNES IMPERIALIS, qui in *Muſeo hiſtorico* Venetiis primum apud *Iuntas* an. MDCXL. 4. edito, poſt cum LEONIS ALLATII *Apibus Vrbanis Hamburgi* MDCCXI. 8. cura cel. IO. ALBERTI FABRICII recuſo, *maiores* TELESII *nobilitate ac litterarum nitore fulgentes adpellat;* p. 78. edit. *Hamburgenſ* Ceterum TELESIORVM *inſignia gentilitia fuiſſe auream faſciam in parma caerulea* tradidit FERDINANDVS VGHELLVS *Italiae ſacrae* tom. VIIII. p. 350. quod et confirmat NICODEMVS in *addizioni copioſe al Toppi* fol. 54. Hoc vnum addimus tamquam in tranſitu: exſtitiſſe priſcis etiam temporibus TELESIVM quemdam, *artis ſtatuariae* peritia famam aliquam conſequutum. De illo CLEMENS ALEXANDRINVS, in *Protreptico*: Τελεσιε τε Αθηναιε, ὡς Φησι Φιλοχορος, ἐργον ἐισιν ἀγαλματα ἐννεαπηχη Ποσειδωνος καὶ Αμφιτριτης ἐν Τηνῳ προσκυνεμενα: h. e. TELESII *Athenienſis, teſte Philochoro, opus ſunt ſimulacra nouem cubitorum quae in Teno* (inſula maris Aegaei cum eiusdem nominis metropoli,) adorantur. confer, ſi placet, FRANCISCVM IVNIVM *de Pictura Veterum* p. 207. edit. IO. GEORG. GRAEVII.

II

Educatio pucrilis ac ſtudia mitiora Mediolani, ANTONIO TELESIO *patruo duce, gnauiter exculta.*

A teneris ſtatim annis egregiae indolis luculenta indicia praebuiſſe illum oportet, qua ductus, vel ipſe *littera-*

rum ſtudia amplecti mature conſtituit, vel, ad illa conſectanda parentum amicorumue ſiue conſiliis, ſiue exemplis impulſus eſt; qui, diſcendi ardore perſpecto, excellentem illum aliquando doctrinae laudibus futurum non irrito euentu augurabantur. Quidquid vero huius ſit, quod quidem definire, vbi monimenta deſtituunt, curate haud licet; hoc interim conſtat, BERNARDINVM, vix dum ex ephebis egreſſum, *Mediolanum* ad ANTONIVM TELESIVM, d) *patruum* ſuum, miſſum fuiſſe, cuius contubernio ac inſtitutione vſus, tum mores ſibi ad omnis honeſtatis rationem effingeret, tum vero ſolidis liberalium ſcientiarum fundamentis animum imbueret ac altioribus doctrinis capiundis praepararet. Teſtatiſſima ANTONII auctorum quam plurium non inficiandis ſuffragiis, et propriis etiam ingenii, quae ad poſteros tranſmiſit, monimentis comprobata eruditionis praeſtantioris copia, et vitae, purae ſcelerum, integritas nullum omnino dubium relinquunt, optime *noſtrum* aetatis illud interuallum in *patrui* conuictu ac familiaritate contriuiſſe. Memoriae prodidit CONRADVS GESNERVS e) et alios honeſtiſſimos diſcipulos bonis litteris TELESIVM illum *maiorem* inſtituiſſe; quorum aemulatione atque exemplis BERNARDINVS incitatus domeſticae priuataeque diſciplinae fructus mirifice augere poterat. Praeter vero penitiorem *Latinae linguae* cognitionem, cuius eximiam facultatem aetate magis firmata *noſtrum* poſſediſſe ſcripta oſtendunt, *oratoriae* etiam *artis* principia feliciter imbibit, et *Romanarum* inſuper *antiquitatum* intelligentiam non plane nullam adquiſiuit. *Graecarum* praecipue *litterarum* ſtudium, non adeo vulgari adhuc aetatis ſuae more atque recepto, gnauiter coluit, inſignem ſequenti tempore, quod ipſe faſſus eſt, impenſi laboris fructum inde reportans, dum *vernacula* ſua loquentes *Philoſophos Graecos*, ARISTOTELEM maxime, legere, ipſosque fontes, praetermiſſis riuulis, non ſatis quandoque limpidis, adire poterat. Poſtremo, veluti *Poeticae artis* facultate inſigni excellebat ANTONIVS, ita et *alumno* ſuo tantum eius amorem ipſum inſpirauiſſe relatum eſt, vt is, adultior factus, in pangendo carmine feliciter LVCRETIVM aemulatus TOPPIO dicatur. f)

d) De

d) De ANTONIO TELESIO, quem abs *rara doctrina* ac *integritate* commendat IMPERIALIS loc. cit. et merito ſuo *vocatum a Carolo V. Caeſare, vt Philippum II. filium apprime inſtrueret*, tradit ELIAS de AMATO in *Pantopologia Calabra* p. 128. habent nonulla PAVLLVS IOVIVS in *elogiis doctorum virorum* cap. CXXII. p. 264. edit. Baſil. 1561. 8. CONR. GESNERVS in *bibliotheca* fol. 63. ſeq. TOPPIVS *bibl. Napol.* fol. 32. et NICODEMVS in *Addizzioni* fol. 26. alii. THVANVS apud ANTON. TEISSIERIVM in *Eloges des hommes ſcauants* tom. III. p. 449. illum elogio *celebris philoſophi* mactauit, et ipſe TEISSIERIVS pag. ſeq. *vn homme d'un grand ſcauoir* adpellat. HORATIVM *Commentario* inluſtrauit, inſerto editioni ipſius Venetae 1559. fol. apud *Bonellum*, non memoratae cel. FABRICIO in *Biblioth. latina.* Confer AMATI *Pantopologiam* p. 127. Eiusdem *de coronarum generibus apud antiquos* Commentarium Colon. 1531. 8. apud *Ioan. Gymnicum* excuſum, eruditiſſimum vocat TOPPIVS l. c. Alius *de coloribus* Venetiis opera *Bernardini Vitalis* 1528. 4. primum typis exſcriptus LAZARI poſt haec BAYFII ſcriptis *de re nauali, veſtiaria et vaſculis* coniunctus, ſaepius in lucem exiit. Reliqua auctoris opuſcula, *poemata* praeſertim, quorum nonnulla CASPARIS DORNAVII *Amphitheatro Sapientiae Socraticae Iocoſeriae* Hanouiae 1619. fol. tomo I. et NICOLAI REVSNERI *Aenigmatographiae* inſerta leguntur, ipſe, cui volupe eſt, lector, apud GESNERVM, LIPENIVM atque NICODEMVM videat. Ceterum referre huc non incommodo prorſus loco iuuat feſtiuum ſatis IOANNIS MATTHAEI TOSCANI in ANTONIVM TILESIVM *epigramma*, quod in eiusdem *Peplo Italiae*, libro III. num. CIII. a cel. I. A. FABRICIO nuper demum ad calcem *Conſpectus Theſauri litterarii Italiae* adiecto, ita legitur:

Suas TILESIVS *minutiore*
Muſas lemmate, ſed nouo et faceto,
Sic exercuit, vt decus Poetae
Ferat perlepidi ac perelegantis.
Sic natus Veneris, vel Adriani
Puer, quos animauit arte caelum
Longe plus oculos tenent peritos,
Quam moleſue gigantis inuenuſta,
Dolatusue manu rudi Coloſſus.
Hoc et TILESIVS *videbat. Vnde*
Ducit pulcrius eſſe indicetur
Si, dum parua canit, Poeta magnus
Quam, ſi magna canens, Poeta paruus.

Scilicet, in tenuioribus licet potiſſimum argumentis ille occupatus, magni tamen ſemper quid praeſtitit.

e) GESNERVS loc. cit. *Priuatas* autem, non publicas has fuiſſe ANTONII TELESII Scholas oportet, bonae mentis cupidae iuuentuti apertas. Neque enim vel praecipue in recentiſſimo *de Studiis litterariis Mediolanenſium anti-*

tiquis et nouis, eodemque elegantiſſimo, V. C. IOSEPHI ANTONII SAXII, Bibliothecae Ambroſianae Praefecti, opere *Mediolani* MDCCXXIX. 8. edito, vbi is capite VIIII. p. 131. ſeq. *ſtudia Mediolanenſia ſaeculi XVI* ſub initium bellis quidem miſere adflicta, ſed non multo poſt auſpicato iterum inſtaurata ſcitiſſime exponit, vlla ANTONII inter *doctores publicos* mentio occurrit.

f) TOPPIVS lib. cit. fol. 344. Adde *Giornale de' Letterati d' Italia* tomo XXII. p. 310. Interim nihil plane *poematum* BERNARDINI *noſtri* ad poſteritatis vſum typorum beneficio tranſmiſſum fuiſſe, nos quidem nouimus.

III

Roma poſt haec per duos fere annos frequentata, et carceris, quod inſons ibi paſſus eſt, infortunium.

Ad *Profeſſoris* in Gymnaſio *Romano* prouinciam obeundam poſtea vocatus ANTONIVS, BERNARDINVM illuc ſecum anno ſaeculi *viceſimo quinto*, qui ipſi fuerat aetatis ſeptimus atque decimus, abduxit, in inluſtri hocce vniuerſi fere orbis theatro adquiſitae hactenus doctrinae terminos amplificaturum praeſtantiſſimorum hominum ſiue praeceptis ſiue etiam exemplis. Vix autem per biennium ANTONIVS hoc munere cum laude defunctus, quum ſub *ſacerdotis* (aut Canonici) *ad diui Giberti templum* in *patria* vrbe titulo ſacrum quoddam beneficium, quod vocant, impetraſſet, *Conſentiam* abiit, relicto *Romae* ex fratre nepote. Felicior vero longe in hoc exſtitit BERNARDINO; cladem quippe *Vrbis*, quae non multo poſt atrociſſima inſequebatur, effugiens, et *Conſentiae* tandem, antequam ingrueret ſenectus, fatis concedens. g) *Noſter* ab *auunculi* ſic latere diuulſus, cuius abſentiam non moleſte ferre non poterat, maius mox infortunium pati cogebatur. Quum enim ſub idem fere tempus CAROLI V. *Imperatoris* arma *Romanae* Vrbi anno MDXXVII. a CAROLO III. BORBONIO principe Gallo, et ſummo tum copiarum Caeſaris duce, inlata infauſtum Muſis ac flebile ſilentium imperarent, h) communi tunc miſerae *Vrbis* fato et TELESIVM ſuccumbere oportuit; adeo vt a Caeſareo milite,

te, ferro, flammis, ſpoliis, caedibus, direptionibus, captionibus omnia vaſtante, et ipſe caperetur; ſqualido mox *carceri* cum omnium facultatum iactura, praeter vllum meritum, includendus. i) Accidit tamen poſt k) duorum fere menſium ſpatium, vt BERNARDINI MARTIRIANI, ciuis ſui, qui tum *Aureliano Principi*, in CAROLI, quem ſupra diximus, BORBONII *ducis*, paullo ante manualis tormenti globo transiecti, locum ſubrogato a ſecretis fuerat, maioribus etiam inſequenti tempore in Neapolitano regno muneribus admotus, l) fauore atque patrocinio *libertas* ipſi iterum reſtitueretur.

g) Teſtem rei habemus PAVLLVM IOVIVM loc. cit.

h) Conferenda heic erit prorſus commemorabilis iſtius *obſidionis Romanae hiſtoria*, Italice primum ab ἀνωνύμῳ quodam conſcripta, et a CASPARE poſt haec BARTHIO ex MSto latine reddita, ac ſub hoc quidem indice: *Direptio expugnatae Vrbis Romae ab exercitu Caroli V. compendio recenſita, licet fuſius vix vsquam reperiatur. Anno MDXXVII. ſexto die Maii. Hiſtoria non inanis miraculorum Dei. Cygneae* 1660. 8. vna cum PETRI ARETINI, ſiue potius RODRIGVESII COTTAE, *Pornodidaſcalo* latine ex idiomate Hiſpanico ab eodem BARTHIO verſo, excuſa.

i) TEISSIERIVS, THVANVM auctorem ſequutus, loc. cit. ſilet plane de *carceris* incommodis, vnus autem Scriptorum e diuerſo *iacturae bonorum* omnium factae meminit verbis: *Il alla à Rome dans le tems qu'elle fut pillée par les Eſpagnols, et dans ce deſordre il courut de grands dangers, et fut depouillé de tous ſes biens.* Ceterum minus curate, minus etiam ex vero, heic a TEISSIERIO poſitum ipſe facili negotio lector conligit, illo tempore *noſtrum Romam* petiiſſe, quum inſtans hoſtis peſſima quaeque *Vrbi* minaretur. Pridem enim antea illic commoratum ex dictis patet, ſimili etiam tempeſtate fuga magis vitare pericula imminentia adamataſque nobis ſedes relinquere ſolemus, quam inconſulto eadem animo exſpectare.

k) Inſpice celeb. STOLLII *Hiſtoriam eruditionis* tom. II. cap. IIII. §. II. c.) p. 527. ſed adde ſimul *Diarium Ienenſe* anno MDCCXXVII. p. 315.

l) Vide MARTIRIANI laudes apud TOPPIVM loc. cit. p. 46. De illo ita ELIAS DE AMATO in *Pantopologia Calabra* p. 108. *Familia* Martiriana, *ex Manierti ciuitate, cuius dominio per multos annos potita, nomen ſumſit, nobilitate, antiquitate, litteris ac titulis glorioſa. Prodiere ex hac proſapia duo viri omni exceptione maiores*, BERNARDINVS *et* CORIOLANVS. BERNARDINVS *omnigena ſcientia clarus, Caroli V. Caeſaris regnique Neapolitani ſecretarius extitit, eidem Imperatori amantiſſimus, apud quem Auguſtus ille hoſpes Neapoli triduo permanſit: Coriolanus etc.* - - - *De primo haec Inſcriptio apud* LAVRENTIVM SCHRADERO *in* monumentis Italiae *legitur*:

BERNARDINVS MARTYRANVS CONSENTINVS IMP. CAROLI CAESARIS AVSTRII A CONSILIIS IN REGNO NEAPOLITANO SECRET. QVI MAGNIS DOMI MILITIAEQVE FVNCTVS HONORIBVS DECVS VETVSTISSIMAE FAMILIAE AVXIT SVA VIRTVTE ET DIGNITATE POST LABORES HONESTE FORTITERQVE SVSCEPTOS EX OPERE NOVO CONCHARVM NYMPHAEVM HOC GENIO POSVIT ET OCIO LIBERALI MDXXXIV

IIII

Seueriora philoſophiae ſtudia Patauii, praeceptoribus clariſſimis, maxime FRIDERICO DELPHINO *et* HIERONYMO AMALTHAEO, *feliciter tractata, et, doctoris lauru impetrata, finita.*

Cepit ab iſto tempore inſigne *noſter Vrbis* taedium; quam ob rem mutare ſedem, aliosque Muſarum lares quaerere inſtituit. Et *Patauium* vtique, vrbs nobiliſſima, apta ipſi prae aliis videbatur, quae iniuriae, quam *Romae* fuerat perpeſſus, delere paullatim honeſtis in ſeueriorum litterarum ac *philoſophiae* ſtudio occupationibus memoriam poſſet. In illuſtre igitur illud bonarum artium emporium m) delatus, ſtrenuam praeſtantiſſimis ſcientiis operam impendit. Florebat tum *Patauium* doctoribus excellentiſſimis, quos inter FRIDERICVM maxime DELPHINVM et HIERONYMVM AMALTHAEVM ſectatus *noſter* fuiſſe legitur. DELPHINVS, n) qui antea Venetiis aliquamdiu medicinam cum plauſu fecerat, ab anno inde ſaeculi viceſimo primo ad vsque ſeptimum ſupra quadrageſimum, quo deceſſit, *mathematicas diſciplinas* in ſumma ſtudioſorum frequentia docebat. Harum *noſter* flagrantiſſimo amore, ex ingenii inclinatione, ductus cupidiſſime illum audiuit, tanta etiam induſtria, tantoque cum ſucceſſu, vt imbutus probe ſolidis illarum doctrinarum fundamentis, mox ſuopte marte quam plurima noua, neque vlli hactenus excogitata, detegeret, in *optica* o) praeſertim, cuius quippe culturae ſingularem operam commodabat.

dabat. AMALTHAEVM p) vero, patria *Opiterginum*, medicinae doctorem, et ex *Poëtica* facultate inter Italos inſigne nomen adeptum, quae *de moribus* eſt *philoſophiam* priuatim explicantem ſtudioſe coluit. Quos in *naturalium rerum contemplatione* duces ſibi ſectandos maxime propoſuerit, nullis plane auctorum indiciis expreſſum legimus; quod, vt inde factum eſſe exiſtimemus, facile inducimur, quia vel neminem inter eos, qui *Phyſicam* tum diſciplinam traderent, inueniret, in cuius doctrina adquieſcere in ſolidum poſſet; quum nempe, pro ſaeculi more, ab aliorum, ARISTOTELIS in primis, praeceptis deflectere, eamque viam non terere, quam tritam ipſe ac ſuperiores magiſtri reliquiſſent, piaculi loco omnes ducerent. Vnde, ommiſſis *interpretum commentariolis*, ipſum adire, quem ſua loquentem lingua q) intelligebat, *philoſophum* conſtituit; in cuius ſcitis, ſicubi non ſatis ſolida atque firma pro mirabili ingenii perſpicacia deprehendiſſet, non ſubſtitit; ſed plus vltra tendendum ſibi ratus, *proprii*, iam tum, *ſyſtematis rudimenta*, r) ac prima quaſi ſtamina effingere coepit, curatius olim poſterioribus cogitationibus formanda atque expolienda. Interim hoc induſtria ingeniique ſui praeſtantia meruit, vt *doctoris philoſophi* titulo s) ac inſignibus anno MDXXXV. publice *Patauii* cohoneſtaretur.

m) Locum hinc in clariſſimi viri, NICOLAI COMNENI PAPADOPOLI, *Hiſtoria Gymnaſii Patauini, Venetiis* 1726. fol. vulgata, libro II. quo inluſtres litteris ac ingenio *Patauinae Palladis alumni* recenſentur et diſertis elogiis ornantur, cap. XXXII. num. CXLVI. p. 248. promeritus eſt *noſter*.

n) De DELPHINO vide eundem PAPADOPOLVM operis laudati tomo I. libr. III. cap. X. num. LI. p. 305. qui narrat, *quod Venetiis* DELPHINVS *aliquamdiu medicinam fecerit, mira curationum felicitate ac methodo, et tam certo prognoſticorum euentu, vt ex hoc maxime cucullatis fratribus ſuſpectus vix non in carcerem, de iis, quae praedicebat, rationem redditurus, raperetur.*

o) Auctor eſt IMPERIALIS l. c. p. 78. *noſtrum* proprio ingenio *noua, inexcogitata, imperſcrutabilia prope quam plurima detexiſſe* in doctrina *optica*. Huius diſciplinae intentiori ſtudio potiſſimum TELESIO *eueniſſe* putat PAPADOPOLVS, *quod multis deinceps*, recentiori tempeſtate, accidit, *vt* ARISTOTELIS *de re phyſica ſententias conuellere primum cogitarit.*

p) AMALTHAEI, qui anno MDLXXIIII. aetatis LXVII. obiit, notitiam aliquam ſuppeditant ANTONIVS TEISSIERIVS in *Elogiis Thuaneis* tomo I. p 417. et PAPADOPOLVS *hiſt. G. Pat.* tom. II. lib. II. cap. XXVI. num. CXVI. p. 228. Tradit idem *in Elogio* TELESII loc. cit. ipſum TELESIVM *moralia documenta, quae ab* HIERONYMO AMALTHAEO *priuatim didiciſſet, recenſuiſſe, ea maxime parte delectatum, quae de iuſtitia et iniuſtitia aliisque virtutibus politicis diſputat.*

q) Ita GABRIEL BARRIVS, ciuis noſtri ac συγχρονος (vel quem, PAVLLO COLOMESIO *Italiae et Hiſpaniae Orientalis,* nuper demum excellentiſſimae doctrinae viri, noſtrique fautoris exoptatiſſimi, IOANNIS CHRISTOPHORI VOLFII cura Hamburgi 1730. 4. editae, p. 57. teſte, mauult auctorem PAVLLVS AEMILIVS SANCTORIVS in *Hiſtoria Monaſterii Carbonenſis* Rom. 1601. 8. vulgata p. 14. GVILIELMVS SIRLETVS,) in, *de antiquitate et ſitu Calabriae,* raro opere *Romae* 1571. excuſo pag. 105. TELESIVM *virum graecae linguae eruditum* adpellat. Et ipſe TELESIVS in *praefatione* editioni librorum ſuorum *de natura, Romae* an. MDLXV. 4. curatae praemiſſa, *de moleſtiſſimis* conqueritur *impedimentis,* quod *Graecorum monumenta,* (ipſum puta ARISTOTELEM, eiusque *interpretes Graecos,*) *euoluere* coactus fuerit, *cum latina* (Metaphraſtas nempe latinos) *non ſatis perciperet ſubinde, ignotis referta vocibus;* ac *facile igitur ſuſpicari vererique potuerit, et re vera ſuſpicatus fuerit interdum ac veritus, deceptum ſe eſſe* ψευδερμηνειαις Interpretum latinorum. *Neque enim fieri poſſe* exiſtimarat, *vt tot praeſtantiſſimi viri, tot nationes, vtque adeo humanum genus vniuerſum tot iam ſecula* ARISTOTELEM *coluerit, in tot errantem, tantisque.* conf. huc omnino THOMAE BVRNETII *archaeologias philoſophicas,* lib. I. cap. XIII. pag. 183.

r) Laudat hoc TELESII inſtitutum vel ipſe IMPERIALIS, (cuius *Elogium Teleſianum* verbotenus *Theatro ſuo* inſeruit PAVLLVS FREHERVS p. 1480. ſeq. iterumque etiam exhibuit in *Synopſi hiſtoriae philoſophicae* IOANNES BAPTISTA CAPASSVS, *Neapolitanus,* lib. IIII. cap. VII. quod agit *de antiſcholaſticis* et *antiperipateticis* p. 348. ſ.) qui tamen eodem tempore, iniquiorem ſimilium fere PETRI RAMI conatuum cenſorem agit, verbis: *In philoſophiae indagine non adquieſcens* ARISTOTELIS *diſſertationibus, inuentorum ſuorum iacere coepit ſemina* TELESIVS, *quae fauorabili doctorum perflata calore fructum ſubinde veritatis amatoribus haud inſuauem pepererunt. Longe ſiquidem planiori ac munitiori via hic incedere videbatur quam ſophiſtae aliqui, iam tum in* ARISTOTELEM *debacchati; quorum coryphaeus* PETRVS RAMVS, *cuius opera tetro adhuc obliuionis carcere obruta, ſuſcepti in caſſum ac temere operis poenas luunt.* Adeo, quod in eius probandum omnino duxit inſtitutum IMPERIALIS, idem in *extero homine Gallo* auerſandum damnandumque cenſuit! Modeſtius PAPADOPOLVS, loc. cit. *ad huiusmodi* (ARISTOTELIS nempe de re *phyſica* ſententias conuellendi) *propoſitum*

non-

nonnulla primum, multa deinde, plurima denique, acutiſſime noſtrum meditatum, in ſolidum Peripateticorum doctrinam damnauiſſe perhibet.

s) Haec nullo nobis olim, dum primum TELESII *hiſtoriam* commentaremur, indicio cognita primus et vnus tradidit ac *Albi Siculorum* et *actorum collegii Patauini Philoſophici* documentis confirmauit PAPADOPOLVS, loc. cit.

V

Reditus Romam; et amici quos ibi, doctrinae ſtudio conciliatos, coluit; VBALDINVS *praeſertim* BANDINELLVS *et* IOANNES DELLA CASA.

Confecto autem ſic *Patauii*, quod adeo nauiter percurrerat, philoſophiae ſtadio, *Romam rediit.* t) Et oblitus ſane iam interea fuiſſe videtur illius temporis, quo a *carceris bimeſtris* incommodis exoſum ipſi factum *Romanum* caelum, ſtudiis quippe, quae colenda ſibi propoſuerat, inter armorum ſtrepitus importunum maxime, antecedenti articulo a nobis dictum eſt. Ingenii heic ſui atque progreſſuum latius explicandorum commodum ſatis campum nactus, perplures ſibi et dignitate et ſcientia inluſtres viros *amicos* atque *familiares* comparauit; qui eius doctrina atque in iudicando acumine eximie delectati, in oculis, quod aiunt, TELESIVM ferrent. Fuerunt inter hos praecipui fere, atque inde Scriptorum calamis praeter alios celebrati VBALDINVS BANDINELLVS u) et IOANNES DELLA CASA, v) ſingulari vterque et nominis et eruditionis liberalioris fama potentes; cuius *poſtremi contubernium* quoque iniiſſe ipſum legimus, x) Cum his TELESIVS quae ipſe hactenus ad *philoſophiam* meditatus fuerat, poſtquam pro familiaritate libere communicauiſſet, adeo amborum inde adplauſum tulit et ſuffragia, vt ad pertexendam, quam tam egregie incepiſſet, meditamentorum telam, ſaepius vterque incitarent, hortarentur, impellerent.

t) THVANVM apud TEISSIERIVM loc. cit. quum ſemel tantum *Romam* adiiſſe TELESIVM, et quidem poſt *Patauinum* demum iter, tradat

dat, inſignem heic παραχρονισμον committere iam tum itidem diximus, quum primum *hiſtoriam* TELESII an. MDCCXXVI. commentaremur; praeter expreſſum IMPERIALIS teſtimonium, qui ipſum decimo ſeptimo aetatis anno, id eſt, ſeculi XXV. ANTONIO *patruo* comite *Romam* profectum, ibique poſt duos fere annos commune vrbis fatum paſſum, et hinc *Romanum* caelum exoſum, *Patauium* conceſſiſſe, vnde elapſo plurium annorum interuallo *Romam* repetierit, dilucide expoſuerat, manifeſta praeſertim temporis ratione inducti. Hac vero in ſententia eo magis confirmati fuimus, dum iisdem omnino fundamentis THVANI adſertionem confutatam, et *temporis confuſionem* ab inluſtri viro humanitatis vitio admiſſam modeſte notatam deprehendimus in laudato plus ſimplici vice PAPADOPOLI *hiſtoriae Gymnaſii Patauini* opere, quod eodem, quo noſtra TELESII *vita*, anno in lucem prodiit.

u) BANDINELLVM ex *Graecae* potiſſimum *linguae* ſtudio *amicum noſtro* conciliatum fuiſſe inde veriſimile nobis quidem videtur, quod ipſum *Adparatum ſententiarum ex vniuerſo Ariſtotele Graeco*, nondum tamen editum, conlegiſſe ANTONII POSSEVINI teſtimonio didicerimus, ad quod prouocat CHRISTOPHORVS HENDREICHIVS, vir clariſſimus, in *Pandectis Brandeburgicis*, p. 403. qui idem *Epiſcopi Monteſiaſconenſis* titulo ornatum BANDINELLVM anno MDLI. mortalitatem expleuiſſe adfirmat. Illud ceterum notari adhuc velimus, in *Indice hiſtorico vernaculo*, d. BVDDEI primum auſpiciis apud nos vulgato, eiusdemque editione ſecunda tomo IIII. fol. 522. minus recte ſiue auctoris, ſiue typothetae, ſiue correctoris denique vitio VBALDINI BANDINELLI nomen interpoſito commate diſiunctum fuiſſe, vt lector, non ſatis rerum harum peritus, facili negotio duas ex vna perſonas animo ſibi fingere poſſit.

v) Nemo fere eſt manſuetiorum litterarum amantior paullo ac intelligentior, qui clariſſimum IOANNIS DELLA CASA, *ſummi* demum ſacrorum apud *Beneuentanos Praeſulis* facti, nomen ignoret, ex *Monimentis* maxime *latinis*, *Florentiae* primum, in officina *Iuntarum*, Bernardi filiorum, an. MDLXIV. 4. et poſtremum opera celeb. NIC. HIERONYMI GVNDLINGI *Halae* MDCCVIIII. 4. cum praefatione doctiſſima vulgatis, humanioris diſciplinae cultoribus adamatum. Ommittimus igitur, quae apud LILIVM GREGORIVM GYRALDVM *de Poetis ſui temporis*; IACOBVM GADDIVM *de ſcriptoribus non Eccleſiaſticis*; FERDINANDVM VGHELLVM in *Italia ſacra*; AVBERTVM MIRAEVM de *ſcriptoribus ſaeculi XVI.* IOANNEM IMPERIALEM in *Muſeo hiſtorico*; THOMAM POPEBLOVNTIVM in *Cenſura celebrium auctorum*; HIERONYMVM GHILINVM in *theatro hominum eruditorum*; PETRVM BAILIVM in *Indice hiſtorico et critico*; IOANNEM MARIAM CRESCIMBENIVM in *Iſtoria della volgar Poëſia*; IVLIVM NIGRVM (NEGRI) in *Iſtoria degli Scrittori Fiorentini*, et infinitos fere alios legi *de ipſo* poſſunt, faſtidioſe huc transſcribere. Monemus tantum in illorum gratiam, qui viri huius penitius cognoſcendi ſtudio ſingulari ducuntur, inquiri *ipſius vitae hiſtoriam* abſolutiſſimam poſſe

in

in *Giornale de' Letterati d' Italia* tomo IIII. art. VII. p. 164. vbi ſimul *Operum* illius *ſingulorum* ab Abbate IOANNE BAPTISTA CASOTTI, Academico Florentino, *Florentiae* an. MDCCVII. 4. nitidiſſime editorum curata notitia exhibetur. Nec inutile prorſus erit ſimul conferre quae detergendis ob *laudatam* carmine quodam *Paederaſtiam* calumniis poſt AEGIDIVM MENAGIVM in *Anti-Bailleto* articulo CXVIIII. laudatus clariſ. GVNDLINGIVS dixit ſingulari aliquo *Obſeruationum ad rem litterariam ſpectantium* tomo, articulo V.

x) Apud PAPADOPOLVM, loc. cit. qui vero non addit vnde arctioris huius conſuetudinis notitiam hauſerit.

VI

Gratia, qua apud PAVLLVM *IIII. Pontificem Maximum floruit, inſignis, & Archi-Epiſcopi Conſentini ſplendida prouincia oblata.*

Quamdiu heic ſubſtiterit *noſter*, in communi ſcriptorum ſilentio, haud adeo pronum eſt definire. Immo potius impeditum magis redditur, ſi THVANVM audiamus, aſſerentem: y) TELESIVM, quum tantis ingenii doctrinaeque dotibus ſingularem animi candorem morumque probitatem coniungeret, non Principibus tantum Romanae Aulae adminiſtris in maxima exiſtimatione ac caritate exſtitiſſe; ſed ipſi etiam ſummo Pontifici, qui ſub PAVLLI IIII. nomine rerum ſacrarum ſummae tum praeerat, adeo acceptum ſe commendatumque effeciſſe, vt vltro ipſi *Epiſcopi Conſentiae*, patriae vrbis, dignitatem offerret; ad quam tamen BERNARDINVS accedere recuſauerit, et, vertice tiarae oneribus ſponte ſubtracto, germanum *fratrem* THOMAM illo ornari maluerit. Enimuero THVANI, grauiſſimi auctoris et fere aetate ſupparis fidem eleuare, aut rei geſtae veritatem negare, quamuis vno illo perhibente conſtet, tanto minus vel volumus, vel poſſumus, quanto euidentiora adſunt FERDINANDI VGHELLI z) in *Italiae ſacrae* praeclaro opere teſtimonia, quibus traditur, THOMAM, quem diximus, TELESIVM, in *Cardinalis* GONSAGHAE locum ſuffectum, ſummi apud *Conſentinos* antiſtitis ſplendidum munus anno

MDLXV.

MDLXV. ſuſcepiſſe, et poſt tres tamdem annos in fata conceſſiſſe. Difficultas tamen haud leuis a) haec penitius conſiderantibus oboritur, ex non ſatis determinata a THVANO iterum ratione temporum, et *matrimonio*, quod TELESIVS interim iniit. Quae quidem, ſi ita dirimi atque componi non poſſe videantur, vt exiſtimemus: TELESIVM, qui PAVLLO *Pontifice*, dum priuatam adhuc is vitam ageret, *Romae* cognitus vſu familiari et ex morum integritate probatiſſimus fuerit, illo, poſt viginti plus minus annos ad *maximi Praeſulis Romani* faſtigium euecto, adeo conſtanter ipſi adhuc adamatum fuiſſe, vt *Archi-Epiſcopi* prouinciam offerret, cui ſuſcipiendae, poſt *vxoris*, quod ſequenti proxime paragrapho manifeſtum fiet, maturum obitum, aptus fuiſſet: aliam certe haec expediendi viam magis commodam nos haud proſpicere lubenter profitemur.

y) Apud TEISSIERIVM, loco, quem ſaepius iam innuimus, vbi ita: *Son rare ſçauoir ioint à la candeur des moeurs non ſeulement lui gagna l'eſtime de pluſieurs grands de cette cour* (de Rome); *mais mêmes celle du Pape Paul IIII. qui voulut lui donner* (nempe non tum, quum *Romae* adhuc degeret TELESIVS, ſed longo poſt interuallo) *l'Euechè de la ville de ſa naiſſance, qu'il refuſa, en faiſant pouruoir ſon frere.*

z) VGHELLVS *Italiae Sacrae* tomo IX. p. 350. THOMAS, inquit, TILESIVS *Cuſentinus, familia nobili natus, frater fuit* BERNARDINI TILESII, *acutiſſimi philoſophi, cuius ſcripta teruntur a doctis. Patriae Archi-Epiſcopatus illi delatus eſt ex Cardinalis* GONSAGHAE *dimiſſione anno MDLXV. die XII. Ianuarii. Sedit annos aliquot: Obiit anno MDLXVIII.* Ceterum, conſtat hinc etiam minus recte *Epiſcopatum Conſentiuum* abs THVANO adpellatum fuiſſe, qui *Archiepiſcopatus* dici potius debuiſſet. Immo vero iam *Synodo* VI. *Conſtaninopolitanae* contra *Monothelitas* habitae nomen ſuam ſubſcripſiſſe perhibetur IVLIANVS, *Archi-Epiſcopus Conſentinus*, abs ELIA DE AMATO in *Pantopologia Calabra* p. 100. Comparentur etiam quae ſupra §. I. not. c) de THOMA ex EODEM ſunt adnotata.

a) Leuior aliquanto haec videri poſſet, quod, quum anno MDLXV. ad *Archi-Epiſcopatum* THOMAM acceſſiſſe relatum ſit abs VGHELLO, iam *quinquennium* integrum ante inter mortales eſſe deſierit PAVLLVS Pontifex; ita fortaſſe commode complananda, vt viuente adhuc PAVLLO *Vicarium* ipſum declaratum adfirmemus.

VII

Matrimonium Conſentiae cum DIANA *quadam* SERSALI, *nobiliſſima femina, initum et triplici prole maſcula fecundum.*

Poſt aliquot etenim annorum interuallum *Romae* in doctiſſimorum hominum conſuetudine iucunde transactum *Conſentiam* repetiit TELESIVS; vbi, quod, vel naturali quadam propenſione, vel ex ſtirpis ſuae emolumentis *caelibi* vita *connubium* potius exiſtimaret, *vxorem* duxit DIANAM quandam SERSALI, vernaculo ſermone SERISALIS, nobili itidem inter *Conſentinos* genere editam, aa) quae *trium* ipſum maſculi ſexus *liberorum* parentem fecit, ex quibus tamen *duo* cum ipſa *matre* immatura, b) alter etiam violenta, *morte defuncti*, flebile *noſtro* ſui deſiderium reliquerunt. Interim habent in TELESIO exemplum quo ſe tueantur illi, qui incommodi multum in *re vxoria* ad *philoſophiae ſtudium* eſſe arbitrantur, nec in vna ſede pectoris Mineruam ac Venerem commode morari poſſe aiunt. Etenim domeſticis curis impeditus vel plane omiſit, vel negligentius certe, vt fit, tractauit *proprii Syſtematis* illo tempore elaborationem; quod quidem neque ipſe d) negat, neque alii inficiantur, qui de illo commentari e) inſtituerunt.

aa) Teſte ELIA DE AMATO, qui ita in *Pantopologia Calabra* p. 123. *Familia* Seriſalis, *quam a Xerxe, Perſarum rege non nulli*, (Syllabarum cognatione ridicule inducti adulatores) *vel a Ruperto Sorrento, Campanorum Principe, penes alios deriuatam dixere: titulis, inſignibus ac feudis in hac vrbe* (Conſentia) *ſemper glorioſa extitit, cuius ſucceſſores - - plurimum effulſere, ac infulis, tribunitia poteſtate equitumque teſſeribus* (forte *teſſeris*) *inſignita: inuidens nemini, et nemini inuiſa, gloria et maieſtate.*

b) Confer quae ſequenti mox articulo nota f. b) dicentur.

c) Nemo eſt rerum quae in litteris aguntur adeo ignarus, vt neſciat quomodo in partes abeatur, vbi *de praeſtantia caelibis eruditorum vitae prae coniugali* inſtituitur diſceptatio, variis plurimorum *commentationibus* in vtramuis partem expoſita; quarum aliquas *ſingulari volumine* complexus iunctim *Vitebergae* MDCCXIV. 8. vulgauit, IRENAEVS CARPENTERIVS, ſiue GODFRIDVS VAGNERVS. Addimus illis celebre HERMOLAI BARBARI nomen, qui integrum *Poema de re vxoria* ſcripſit ſexcentorum verſuum, adhuc ineditum, *nel quale egli eſa-*

mina particolarmente, ſe ad vn huomo ſapiente e di lettere conuenga ad ammogliarſi; ed in eſſo egli ſoſtiene, che no; quod dicitur in *Giornale de' Letterati d'Italia* tom. XXVIII. art. V. p. 208. coll. p. 210. In eadem haereſi ſe eſſe conceptis verbis profitetur IANVS NICIVS ERYTHRAEVS *Pinacothecae* II. imagine XXXV. p. 412. edit. Lipſ. *Cum a philoſopho,* ſcribens, *certa vitae ineundae ratio requiritur, nihil illi minus conuenire arbitror, quam connubium. Nam, quid illi res ſit cum corporis illecebris, cuius mens, ſublimium rerum contemplationi dedita, peregrinetur in caelo? etenim neque philoſophiae, quam tanquam filiolam amplexari ſe dicit, ſatisfacit; neque vxori, cui operam dare iubetur, animum explet.* Vide et *Valeſiana* p. 5.

d) Ipſe TELESIVS in *Praefatione* librorum ſuorum *de Natura* editioni *Romanae* MDLXV. 4. praemiſſa, *inde a pueritia* (iuuenilitate, *Patauii* ac *Romae* exacta) *intermiſſum ſcribendi munus poſt longum* (cuius pars in *matrimonio* abiit) *tempus a ſe repetitum demum eſſe* fatetur.

e) Plurium inſtar vnus ſufficiat nobis PAPADOPOLVS, qui, vbi TELESIVM *Romae* a CASA atque BANDINELLO *hortantibus, ad perficiendum nouum, quod inchoauerat, ſyſtema compulſum* tradidiſſet; *diſtulit tamen,* ait, *hoc ipſum per annos plures; quippe in patriam redux, cum matrimonium nobile, ducta* DIANA SERSALI, *contraxiſſet, vacandum illi fuit vxoriae rei, et adminiſtrationi domeſticae; qua ſe tandem abſoluit, cum filius* rel.

VIII

Poſt fata vxoris ſeceſſus in praedium rurale: huiusque fructus litterarii, duo de Natura rerum libri, et ſcriptiones quaedam aliae.

Noſter interim
Tulit quieto pectore coniugem
Sic morte ademtam, conſilio Deum,
Quod mente nunc doctae Sophiae,
Liberiore vacare poſſet.
Nam rara libris cura, vbi femina
Quieta turbat tecta philoſophi,
Diesque ac noctes cor mariti
Per ſtimulos agitans acerbos. f. a)

Rediit enim ipſi *poſt fata vxoris* liberalius otium, quum

ſimul

ſimul ſuperſtes filius *vnicus*, f. b) adultior factus, oneroſam negotiorum domeſticorum molem in ſe ſuſciperet. Commodam hinc *ſeceſſus litterarii*, veterum exemplo, g) capiundi adeptus eſt TELESIVS occaſionem, cuius pridem maxima cupidine flagrabat; vt ſcilicet *rurali* iſto *otio* non animum tantum reficeret, ſed *naturalium* potiſſimum *rerum indagationi* ab vrbano ſtrepitu remotus magis commode magisque ſollerter vacare poſſet. In *praedium* itaque aliquod ſuum in ſilenti luco, quem interfluens *Corax* amnis amoeniſſimum reddebat, poſitum abiit, inibique totum ſe quaſi litteris abdidit, ſecum, quod dici conſueuit, victurus, probeque memor iſtius *Horatiani* h) de Poetis:

Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit vrbes.

Hoc vero otio ſuo honeſtisſimo ita vſus eſt, vt, quod idem olim de *ſuo ſeceſſu* ad amicum ſcripſit MARSILIVS FICINVS, magni itidem nominis ſub redeuntem meliorem doctrinae vniuerſae periodum *Philoſophus*, i) *non tam remittendi, quam potius intendendi animi gratia illuc* ſe *conceſſiſſe* ipſo facto oſtenderet; *quum ſolitudo philoſophantibus non tam remiſſio mentis quam intentio eſſe et ſoleat et debeat.* Siquidem tum plerorumque, quos Graecia olim tulit, philoſophorum, ARISTOTELIS praecipue, monumenta ſedula iterum iterumque manu verſauit, tum vero *propria* in primis ingenii meditamenta ſtilo conſignauit, *duorum de Natura librorum iuxta propria principia* titulo, euertendis *Peripateticorum ſuper rebus naturalibus placitis* potiſſimum comparata. Haec poſtquam libere iterum cum familiaribus aliquot ſuis, IOANNE praeſertim MARIO MADIO, *Brixiano*, k) communicauiſſet, et vir ille calculum TELESII conatibus addidiſſet, l) libros, quos diximus, *de natura duos iuxta propria principia* anno MDLXV. prelo *Romano* in *quarti* ordinis forma apud *Antonium Bladum* excudendos ſubiecit, lucique publicae paſſus eſt committi; alios etiam praeterea, ab ipſa ſcilicet quaſi natura ad indagandas *rerum naturalium cauſas* factus, *de ſingularibus ex re phyſica argumentis* commentarios elaborauit, itidem typorum beneficio communes,

nes redditos, de quibus tamen magis expoſite inferius dicemus, vbi iuſtum *ſcriptorum noſtri catalogum* exhibebimus.

f a) Conſilium hoc eſt atque ſententia CONRADI CELTIS, *Odarum* libro III Od. XXIII.

f b) Num forte is eſt IOANNES TELESIVS, quem a *Poeticae* artis eximia facultate CAMILLO FERAE in *Selua humana* fol. 85. laudatum TOPPIVS in *Bibl. Napol.* f. 338. tradidit? Ceterum de altero BERNARDINI *filiorum*, quos fato parentem anteceſſiſſe ſupra dictum fuit, ANTONIVS PERSIVS in *dedicatione* libri *Teleſiani de vſu reſpirationis* ad IOANNEM MICHAELIVM memoriae proditum reliquit, quod *funeſta morte a ſicario quodam ſibi inlata patri ſuo extrema iam aetate inſignes moleſtiarum fluctus atque perturbationum excitauerit*: conf. §. VII. nota b)

g) Quantum iam ab antiquiſſimis inde temporibus *ſeceſſibus* id genus *litterariis* ſtatutum fuerit ab eruditis pretium, quotquot illorum ſcripta norunt, minime ignorant. *Seceſſus* ceperunt *philoſophi* Graeci pariter ac Romani, *Oratores*, *Poetae*, alii: ANTISTHENES, THALES, SOCRATES, PLATO, ZENO, ARISTO CHIVS, DEMOSTHENES, CICERO, PLINIVS, VIRGILIVS, HORATIVS, OVIDIVS, CATVLLVS, et qui non? de quibus vt inſpiciatur, cui volupe eſt, erudita CHRISTOPHORI GODOFREDI BARTHII diſſ. *de ſeceſſibus veterum ad mentem ſententiamque Plinii* Lib. I. Epiſt. VIIII. Halae 1701. propoſita, et a clariſſ. IACOBO FRIDERICO REIMANNO in *Idea ſyſtematis antiquitatis litterariae* p. 106. ſeq. ἐν συνόψει exhibita, iubemus; qui idem litterator doctiſſimus in laudatae *Ideae paralipomenis* pag. 496. ſeq. quae ATHANASIVS olim KIRCHERVS in *deſcriptione Latii veteris et noui* Parte II. Cap. II. IIII. et VI. ad argumentum hoc facientia adtulit, integra excerpta dedit. Tacemus iam priſcorum *Druidum nemora alta remotis lucis incolentium ſeceſſus* apud ESAIAM PVFENDORFFIVM in diſſ. *de Druidibus*, *Opuſculorum Iuuenilium* a IOANNE PETRO LVDOVICI Halae an. MDCXCVIIII. 8. iunctim editorum p. 59. ſeq. Neque recentioris ſaeculi eruditis *ſeceſſuum* delicias minus probatas exſtitiſſe MARSILII, quem iam diximus, FICINI, ANGELI POLITIANI, BACONI DE VERVLAMIO, THOMAE MORI, GVILIELMI BVDAEI, DANIELIS HEINSII, RENATI CARTESII, PETRI POIRETI et ſexcentis aliorum exemplis conſtat. Ceterum contuliſſe etiam iuuabit THEOPHILI SPIZELII, Theologi ac Polyhiſtoris Auguſtani, ſingulari pietatis doctrinaeque fama conſpicui *diſſ. praeliminarem Sacris Bibliothecarum inluſtrium arcanis praemiſſam* §. X.

h) HORATIVS *Epiſtol.* lib. II. epiſt. II. v. 79.

i) FICINVS in *litteris* ad BERNARDVM BEMBVM lib. V. f. 100. apud eruditiſſimum nobisque coniunctiſſimum virum, IOANNEM GEORGIVM SCHELHORNIVM, in *vita* eiusdem FICINI, quam doctiſſime idem commentatus eſt *Amoenitat. litterar.* tom. I. p. 62. vbi et quaedam iucunda lectu de *ſeceſſus eruditi* pretio.

k) Notitiam huius viri, ſua tempeſtate ex ingenii laude clariſſimi, aliquam ſuppeditant HIERONYMVS GHILINVS in *Teatro d' huomini letterati d' Italia* vol. I. p. 110. et PAPADOPOLI *Hiſt. Gymnaſ. Pat.* tom. I. lib. II. cap. XXXVI. n. 167. p. 261.

l) Ipſum hac de re audire TELESIVM non pigebit. Ita vero in *praefatione libro* huic ſuo praemiſſa ſcribit: MADIVM BRIXIANVM *adire et conſulere viſum eſt, quem et in philoſophia excellere videbamus, et cuius iam diu animi ingenuitas innotuerat, vt, ſi a praeſtantiſſimo viro cogitationes meae non improbatae forent, nequaquam ſupprimerentur illae; ſin minus, errores intuitus meos, quod reliquum vitae eſſet, et ipſe* ARISTOTELEM *ſuſpicerem, venerarerque. Brixiam itaque ad* MADIVM *profectus, et itineris mei expoſita ratione, nequaquam ille, quod multi fecerant, et quod facturum et illum minitati fuerant, inauditum reiecit; at ſumma diligentia, plures dies quibus apud ipſum fui, et ſumma cum animi tranquillitate et audiit, et perpendit omnia. Principia nihil improbauit;* rel. Hoc quid ab vtroque philoſopho dignius, quid candidius fieri potuiſſet?

VIIII

Nominis celebritas ac fama inde comparata, praecipue apud Neapolitanos.

Memoriae proditum inuenimus vix typothetae carceribus ingenii iſta *Teleſiani* monumenta liberata, et publico aeſtimantium arbitrio permiſſa fuiſſe, quum ſimul minus ſperato plurium, iuuenum praecipue in *Gymnaſio Neapolitano* m) Muſis vacantium, *plauſu* exciperentur. Minus ſperatum, et ipſi etiam TELESIO, n) plauſum iſtum merito nos adpellauiſſe, facile ille ſibi perſuaderi paſſus fuerit, qui caecum fere, quo, *iſto* adhuc inprimis *tempore*, et in *Italia* praeſertim, aduerſus ARISTOTELEM homines in vniuerſum omnes occupati tenebantur adfectum apud animum reputauerit, ita vt ne hiſcere quidem alicui contra *philoſophorum Deum*, *humanae ſapientiae Dictatorem et ſapientum Pontificem maximum* o) impune licuerit. Neque in *plauſu* interim tantum non vniuerſali, ſiue iam *nouitate* dogmatum, qua duci ſaepe vel maxime hominum, iuuenum p) praecipue, ingenia nouimus, ſiue *veritatis*, quod prae ſe ferre videbatur philoſophus, *ſtudio*, cum intrepida ſentiendi, ac *Peripateticorum du-*

cis placita con[...]ndi, libertate coniuncto, ſiue alia demum quacumq[...] re excitatum illum dicas, vniuerſum ſubſtitit negotium. Quin immo relinquere *ſeceſſum* et *Neapolin* abire, vt coram ſuam explicaret iuuenibus ſtudioſis ſententiam, et dubitantes confirmaret, conſtantibus eorumdem precibus compulſum fuiſſe exploratum habemus maxime.

m) Pridem *Gymnaſium Neapolitanum* liberalium artium ſtudiis, et frequenti doctorum hominum conuentu celebratum exſtitit, quos inter ALEXANDER ille ab ALEXANDRO princeps fere nominis ac doctrinae fama inclaruit. Ipſius *Origines* ad ſaeculum XIII. plerumque referunt auctores, quo abs FRIDERICO II. *Imperatore* inſtauratum praeter alios tradunt CAESAR EGASSIVS BVLAEVS in *Hiſtoria Academiae Pariſienſis*, et HERMANNVS CONRINGIVS *Antiquitatum Academicarum* p. 53. licet VVOLFGANGVS IVSTVS, vetuſtior rerum Academicarum commentator in *narratione de omnibus Europae Academiis*, *Francof.* anno 1554. 8. *ignorari a ſe eiusdem fundationem atque aetatem ingenue* profiteatur. Ceterum PETRI LASENAE, Neapolitani, poſthumus liber *dell' antico Ginnaſio di Napoli*, *Romae* anno 1641. et *Neapolis* an. 1691. 4. publicae luci datus, qui vero minus frequenter admodum noſtris in oris conſpicitur, huc non pertinet; quod, alios ſequuti, ipſi quondam exiſtimauimus. Nihil enim ibi de litterarum cultura apud Neapolitanos; ſed de ſtudio, quod publicis olim gladiatorum ſpectaculis incolae impendere conſueuerunt. conf. cel. FABRICII *Theſaur. litt. Ital.* p. 295. Notitia interim illius aliqua adquiri poteſt ex clariſſimi PETRI ZORNII *Bibliotheca Antiquaria* Tomo I. Praeter autem omnem veri ſimilitudinem plurima ab *Italis* olim de illius *antiquitate* vel ipſa Chriſti hominis tempora longiſſime anteuertente dicta fuiſſe, qui eorumdem apud HYACINTHVM GIMMAM in *Idea della Storia letterata d' Italia* tom. I. cap. XX. §. 12. p. 161. ſ. legerit hac de re teſtimonia, facile, putamus, fatebitur nobiſcum. Vt vnicum huius rei argumentum veluti in tranſitu adferamus, refert alicubi laudatus modo LASENA, PETRVM DE CASTRO *Comitem de* LERMOS, quum Hiſpaniae aliquando *regis vicem* apud *Neapolitanos* ageret, *Scholae* iſti *Neapolitanae* hunc *titulum* inſcribi curauiſſe: GYMNASIVM CVM VRBE NATVM, VLYSSE AVDITORE INCLITVM. vide clariſſ. IOACHIMI NEGELINI *Vlyſſem litterarium* p. 19.

n) Nouerat is certe gentilium ſuorum animos, ſaeculique, quo viuebat, genium, et inſigni ſibi crimini ab ipſis ductum iri verebatur, quod ab ARISTOTELE deſciuiſſet. At enim vero quamuis gratiae haud adeo magnae apud populares inſtituto iſto ineundae ſpes eſſet, veritatis tamen, quam pro viribus cupidiſſime ſectabatur, ſtudium imperterritum reddidit, ſpiritusque dedit altiores. Confirmant haec quae in laudata iam ſupra is *praefatione* ſcripſit: *Nulli, quod mihi contigit, eueniſſe vmquam reor, vt, qui mortalium omnium minime gloriae adpetens, animoque maxime remiſſo, et, ſi quis alius vmquam vnius cognitionis gratia, nullius amplius rei, philoſophiae ſtudiis*

diis

diis vacarim, omnium ambitioſiſſimus uideri queam tumidiſſimusque, (ὑπότυφον tamen, hoc eſt, *non ab omni prorſus faſtu remotum* alicubi TELESIVM dixit acutiſſimus ingeniorum cenſor, VERVLAMIVS,) *et vel honores, vel etiam diuitias aucupari; qui, non contentus* ARISTOTELIS *doctrina, quem tot iam ſaecula, numinis inſtar, hominum genus vniuerſum veneratur, et veluti a Deo ipſo edoctum, et Dei ipſius interpretem, ſumma audit cum admiratione, et cum religione etiam ſumma, nouam ipſe inuehere tentem. Sed qui noſtra perlegit, facile is, quod re vera eſt intelliget, ſpero; non alterius rei cupiditate ab* ARISTOTELE *me deſciuiſſe, quem et ipſe nullo forte minus multos annos colui ſuſpexique, ſed veritatis tantum gratia.* Ceterum idem fere quod TELESII aetate monachi, illud, recentiori aeuo, ſectae, putamus, magis quam veritatis ſtudio de ipſius conatibus cenſuit, vir doctrinae ceteroquin abſolutiſſimae, ingeniique elegantiſſimi, RENATVS RAPINVS, qui, poſtquam in *Reflexions ſur la Philoſophie*, (quae quarto loco in *tomo ſecundo* ipſius *Operum, Amſtel.* 1686. 12. excuſorum, exſtant) cap. VII. ARISTOTELIS virtutes inuidendis elogiis cohoneſtauiſſet, hoc fere claudit epiphonemate: *C'eſt donc en vain qu'une volée de petits eſprits ſe ſont eleués contre la reputation de ce grand homme, ſous la conduite de* TELESIVS, *de* PATRICIVS, *de* BACON, *de* CAMPANELLA, *de* IORDAN BRVN, *et quelques autres, pour decrediter ſa doctrine dans ces derniers ſiecles: leſquels en cenſurant* ARISTOTE, *ont pretendu eſtre plus ſages, que tous les ſiecles et tous les peuples qui l'ont eſtimé.*

o) Hoc ipſo fere elogio, et ſerius quidem, *Stagiritam* ornauit homo παράδοξος, IVLIVS CAESAR VANINVS, in de *Admirandis naturae arcanis* libro, dialogo II. p. 9. Hanc vero communem omnium, ſi non vocem, mentem tamen iſto aeuo fuiſſe, ecquis ignorat?

p) Illam certe potiſſimam rei cauſſam habet PAPADOPOLVS, verbis: *Ea* (*duo de Natura* TELESII *volumina* loquitur) *mox edita cum Neapolitana iuuentus, excita rerum nouitate, quae leuiſſima pectora flectere ac perſuadere ſolet, excepiſſet ſummo cum plauſu,* TELESIVS *Neapolim venit,* rel.

X

Sedes Neapoli ad tempus fixa, ibique Academiae nomine Societas aliqua litteraria in phyſicae doctrinae commodum ac incrementum inſtaurata.

Neque vero quam *ſcriptis* ſibi conciliauerat exiſtimationem nominis ac famam *Neapolin* paullo poſt profecti praeſentia minuebat, quum in frequentiſſimo philoſophiae ſtudiis deditorum congreſſu *de rebus naturalibus* acute, diſerte, copi-

copioſeque verba faceret. Non etenim vſitato vulgarium Magiſtrorum more, qui in vnius *Stagiritae* verba iurantes, ne latum, quod prouerbio dicimus, vnguem ab illius ſcitis diſceſſerunt, ſed *nouo* plane, et ad illam diem plane inaudito, iuxta *propria principia* phyſicam explicuit. Num *publico* hoc *ſtipendio*, quod adfirmari quibusdam q) animaduertimus, an vero *priuatos* tantum *intra parietes* fecerit, non adeo expeditum eſt. Nobis quidem, ſi prius fuiſſet, non ita plane ſilentio praetermiſſuri fuiſſe videntur TOPPIVS maxime, atque auctores alii. Quidquid interim hac de re ſit, illud profecto taceri nobis non debet, quod quippe honori non exiguo *ipſi* cedit; inſtituiſſe ſcilicet TELESIVM *eruditorum* aliquam *ſocietatem*, *Academiam* Italorum moribus dictam, et *naturae* arcanis iunctis *ſociorum* viribus penitius perſcrutandis, et *Philoſophiae ſuae* contra *Peripateticorum* inſultus *defendendae* vnice dicatam; atque adeo, ſi non *omnium primum*, inter *primos* certe eiusmodi inſtituti fuiſſe auctores, quod variae cultioris Europae gentes inſequenti *tempore* r) aemulatae, tantam tamque inluſtrem non *naturali* ſolum *ſcientiae*, ſed et omni plane humanae cognitionis generi lucem reddiderunt. Equidem nouum iterum ſcriptorum in definienda huius *Academiae Teleſianae ſede* diſcrimen deprehendimus, facili tamen fortaſſis negotio componendum. IMPERIALIS s) atque PAPADOPOLVS conceptiſſimis verbis *Neapoli* eamdem inſtitutam perhibent. Recentiſſimus vero *hiſtoriae Italorum litterariae* conditor HYACINTHVS GIMMA, t) quum plus vice ſimplici verba de eadem faciat, ſemperque *Academiae Conſentinae* titulo adpellet, perſuadere alicui non illibenter poſſet, aut in principio hanc ſocietatem *Conſentiae inſtauratam* et poſt demum *Neapolin* translatam fuiſſe, vnde *Conſentinae* nomen potius ipſi adhaeſerit; aut, ſi quidem *Neapolitanae* vrbi originem debuiſſet, poſt aliquod tempus cum *auctore Conſentiam* quaſi transplantatam fuiſſe, ac, quod ibi per longius ſpatium, etiam poſt conditoris obitum, floruiſſet, *Conſentinae cognomentum* retinuiſſe. At enim vero nihil omnino impedire exiſtimamus hanc adpellationem, quo minus vere *Neapoli inſtituta* et culta habeatur *Academia Teleſiana*,

ſiana, quae ideo alio quoque vocabulo *Conſentina* nuncupata ſit, quod *ſocii* ipſius tantum non omnes *Conſentiam* vrbem *patriam* u) agnoſcerent ex laudati GIMMAE expreſſo teſtimonio. v) Ceterum, poſtquam diu viguiſſet, iterum tamdem illam, dubium qua cauſſa, *exſpirauiſſe* x) compertum eſt.

q) V. C. GOTTLIB STOLLIO in *Introd. ad hiſtor. litt.* tom. II. cap. IIII. §. XI. (3) p. 645.

r) Manet profecto *Italis* apud rerum quae inter eruditos geſtae ſunt non imperitos *inuentarum primum* omnium *inſtitutarumque Societatum* veluti *litterariarum* vniuerſim, ita in primis etiam *phyſicarum*, gloria, quidquid alii nimio forte propriae gentis amore ducti in contrarium dixerint ſcripſerintue. Equidem THOMAS SPRAT, Epiſcopus quondam Roffenſis Anglus, in eleganti cetera *Societatis regiae Londinenſis hiſtoria*, tertium Londini anno MDCCXXII. 4. cum Vita auctoris edita, *primos omnino* eſſe *Anglos* iactat, qui in *ſtudio naturali* ſimile quiddam tentauiſſent, et inluſtris ſui ciuis FRANCISCI BACONI DE VERVLAMIO conſiliis excitati pro amplificandis *phyſicae ſcientiae* terminis eiusmodi *Collegium* inſtituiſſent. Sed merito nimium hac in re genti illum ſuae indulgere cum DAN. GEORGIO MORHOFIO *Polyhiſt.* tom. II. part. I. cap. I. §. 13. p. 136. et §. 16. p. 139. pronunciamus, quum *in Italia pridem ante ea tempora Collegia fuiſſe, quorum inter alia hoc inſtitutum erat vt naturam excolerent*, ſi cetera etiam deeſſent rerum argumenta, vel vnico hoc *Teleſianae Academiae* exemplo pateſcat. conf. GODFRIDI VOCKERODTII *Hiſtor. Societat. litterar.* Sect. II. Cap. I. §. 18. conlata Sect. I. cap. I. §. 10. Quod SPRATVS *Anglis*, idem IOANNES BAPTISTA DV HAMEL *Gallis* ſuis, ſed pari, ſcilicet, iure, vindicat in *Hiſtoria Academiae regiae Scientiarum* lib. I. pag. 9. quem ſine vlteriori examine ſequutum fuiſſe clariſſimum GEORGIVM BERNARDVM BVLFFINGERVM in *Oratione* de ſimilis generis inſtitutis in *Academia Petropolitana* habita, et *Petropoli* anno MDCCXXV. 4. typis exſcripta p. 13. oppido miramur.

s) IMPERIALIS l. c. *Neapoli, eo die quo in hanc vrbem venerit* TELESIVS *excitatam ab illo fuiſſe* ſcribit *Academiam, in qua ſingulari contentione nominatim* TELESIANA PHILOSOPHIA *aduerſus* ARISTOTELIS (et ſequacium) *placita propugnata* fuerit. PAPADOPOLVS autem TELESIVM *Neapolin veniſſe, ſuaque praeſentia ita nutantium plurimorum animos erexiſſe*, ait, *vt ſe illi ſectatores adſeruerint, eiurataque* ARISTOTELE *nouam Academiam excitarint quae* TELESIANA *deinceps dicta ſit.*

t) Iuuat quaedam in lectoris commodum, quum *rarius* inter noſtrates HYACINTHI GIMMAE *Idea della Storia letterata d' Italia* occurrat, ad argumenti huius rationes facientia huc transſcribere. Inter *primas Italiae* non minus, quam orbis cultioris vniuerſi *Academias, Teleſianam*, (quam *Conſentinam* GIMMAE vulgo adpellari iam monuimus atque etiam hoc cognomento adpellant cel. I. G. KRAVSIVS in *Indice ſubitaneo Academiarum*

Italiae, IOANNIS IARKII *Specimini hiſtoriae Acad. eruditar. Italiae* ad calcem addito, et, qui eumdem typis repetitum auctioremque dedit FABRICIVS, ὁ πολυίστωρ, in *Conſpectu Theſauri litterarii Italiae* p: 259.) habendam eſſe haec potiſſimum monſtrant, quae *Ideae* huius tom. II. Cap. XXXVIII. §. 2. p. 476. ſ. his fere verbis dicuntur: *Tutte Accademie d' Europa ſono dal Secolo XVII. cioè dopo l' anno 1600. Ma pure abbiamo la memoria di trè delle noſtre d' Italia, che fiorirono nel Secolo XVI. cioè dopo il 1500. ſenza affaticarci di ritrouare delle altre meno celebri. Anchorche non abbiamo auuto la Soddisfazione di ſapere l' origine delle ſteſſe; perchè non poſſiamo vedere i libri che à ciò biſognano; e di cui ſiam priui. Nulladimemo è ben certo che ſono prima delle altre ò ſtraniere ò Italiane; e ſono ſtate di eſſempio à quelle, che hanno con gloria loro incomminciato à fiorire nello ſtudio delle ſcienze naturali, e nelle nuoue ſcuoperte letterarie tanto ignote agli Antichi. Queſte trè ſono l' Accademia de' Lincei di Roma, quella de' ſegreti di* GIOVAMBATTISTA PORTA, *e la Coſentina. Le quali (giacchè moſtrar non poſſiamo l' anno della loro fondazione) fiorireno molto prima delle ſtraniere, ed al meno nel fine del Secolo XVI.* Immo ipſa *Romana Lynceorum Academia* antiquiorem eſſe *Teleſianam* illam ſubductis temporum rationibus idem auctor conligit p. 479. *dagli anni del* QVATTROMANI, ſcribens, *pare, che l' Accademia Coſentina ſia ſtata prima della Romana de' Lincei.* Ceterum ſuppleri ex his poſſunt quae de *Academiis Neapolitanis* nimis conciſe dixit cel. B. G. STRVVIVS in *Introduct. ad notit. rei litt.* cap. X. §. XII. p. 861.

u) Eodem loco GIMMA §. 4. p. 478. *L' Accademia Coſentina fù delle antiche Italiane, e dicono* ARRIGO BACCO *e* GIOVAN PIETRO ROSSI *nella deſcrizzione del Regno di Napoli, ſtampata nel 1629. che fioriua la ſteſſa Accademia di Vomini illuſtri in lettere, de' quali furono a' tempi loro* BERNARDINO TELESIO, SERTORIO QVATTROMANI, GIOVAN PAOLO DI AQVINO, GIVLIO CAVALCANTI *e* FABIO CICALA *gran Filoſofi;* GIOVAN ANTONIO ARDOMO, COSIMO MORELLO, *Poeti celebri, tutti nobili della ſteſſa Città di Conſenza, ed altri ancora.* FABRICIO DELLA VALLE, *autore di molti libri, e molto ſtudioſo di Dante fù della medeſima Accademia, come ſi hà dalla Bibliotheca Nap. del* TOPPI, pag. ſcil. 344. pauciſque interiectis, repudiatis illis, ridiculis fere interdum atque inficetis, titulis, quos aliae id genus *Italiae ſocietates* adoptare poſtero tempore conſueuerunt, ſimplici *Academicorum Conſentinorum cognomento* adpellari ipſos maluiſſe idem tradit: *Fù ſuo conſiglio* (TELESIVM puta) *agli Accademici di laſciare ogni altro ſopranome, e prender quello di Accademici Conſentini: perchè quei nomi ſtrani che ſi han tolto varie Adunanze virtuoſe d' Italia gli ſembrauano piu conuenienti à Maſcherate, che ad Vomini graui ed applicati di ſenno allo ſtudio; ed oſſeruano i dottiſſimi Giornaliſti d' Italia, che di queſto abuſo furono lontane alcune Accademie nel ſecolo XVI. v. Giornale d' Italia* tom. XXII. art. VIIII.

v) Luculentiora his quae diximus aliquando fortaſſe adferet pro ampliſſimae doctrinae peritiaeque in ſimili argumento ſingularis copia V. C. IOANNES

NES GOTTLIEB KRAVSIVS in ſuo de *eruditis Italorum ſocietatibus* commentario, quem exſpectari is abs ſe publice pridem iuſſit.

x) IMPERIALEM, qui *diu etiam vel auctore demortuo floruiſſe Academiam Teleſianam* dixerat, *licet deinceps bellorum viciſſitudinibus intermiſſa potius quam euerſa fuerit*, minus recte rem propoſuiſſe exiſtimat PAPADOPOLVS, quum *poſt obitum* TELESII nulla *bella Neapoli exſcindendis Philoſophorum ſectis idonea* exſtiterint; quin *ſua* putat *imbecillitate apud ſolida Italorum ingenia euanuiſſe*. Annon vero potiorem hanc cauſſam exiſtimabimus, quod monachorum inuidiae et Pontificali fulmini cedere coacta ſit? cuius quidem rei ſequentibus proxime Articulis argumenta dabimus.

XI

Vitae ad longam aetatem prouectae terminus.

Dum vero per plures ita annos et in iuuentute formanda et in ſuo *de Natura rerum* opere magis in dies magisque perficiendo ſtrenuus inſudat, ac *tertium* publicae illud luci ſub FERDINANDI CARAFAE, *Nuceriae Ducis*, Maecenatis ſui, et qui ipſum in familiam adſciuerat, auſpiciis y) commendat, vehementior aliquis ab atrae bilis abundantia excitatus adfectus z) ſenem proſtrauit. Vitae igitur finem quum haud adeo procul abeſſe animaduerteret, atque dulcius tamen eſſe in *patria* mori cenſeret, ſuperſtitis pietate filii *Conſentiam* eſt tranſuectus, vbi poſtquam per octodecim fere menſes integros exſtatico quaſi ſtupore praepeditus exegiſſet, viuis tamdem octogenario proximus anno MDLXXXVIII. eſt ereptus a) et *fratri* THOMAE *Archi-Epiſcopo*, in vita ſibi coniunctiſſimo et in tumulo, quod viuus quippe adhuc fieri deſiderauerat, coniunctus.

y) Ad CARAFAM ita in praemiſſa dedicatione noſter: *Commentarios de rerum natura, quos, vt probe noſti, Excellentiſſime Princeps, magnis laboribus diuturnisque confeceram vigiliis, edendos tamdem quum viſum eſſet, ſub tuis omnino auſpiciis emittendos eſſe duximus. Nam et domi tuae conſcripti fuerunt; et plurimis, magnisque beneficiis, quae in me contuleras, debebantur. - - Nihil omnino quam Ariſtoteles Alexandro fuit me tibi minus carum, neque in minore, quam ab illo habitus fuit, nos a te in honore haberi homines intelligant.* rel.

z) Auctor eſt PAPADOPOLVS *variis Monachorum iurgiis adflictam fuiſ-ſe*

ſe philoſophiam atque *Academiam Teleſianam*, *quibus eius auctor decrepitus importune vexatus melancholicum adfectum contraxerit*; non immerito hinc Martyrum Philoſophicorum Catalogo Heumanniano inſcribendus in *Actis Philoſophorum* parte XIII. n. VII. §. 12. p. 99.

a) Ignorare nos fatemur quid in mentem venerit Gallo illi ex ingenii laude celebratiſſimo neque indocto, VITO PATINO, qui TELESIVM *aetate ſibi ſupparem* exiſtimans, mortuum illum eſſe adſeruiſſe perhibetur anno MDCXLVIII. in *Patinianis*, p. 122. *Il eſt mort*, ibi inquit, *en Italie depuis peu*, *hoc anno*. Sed hunc ipſum mirum ſane παραχρονισμον iam notauit clariſſimus STOLLIVS in *Hiſt. eruditionis*, opere admodum praeſtabili, loc. cit.

XII

Scriptorum luculenta enumeratio primique Capitis concluſio.

Qui viuis ita autem, fatali ſemel lege mortalibus indicta, intereſſe deſiit TELESIVS, doctorum tamen adhuc hominum ſupereſt memoria, ex relictis variis *ingenii monumentis* ore eorumdem et calamo celebratus. Horum vt iam *notitiam* b) aliquam ſuppeditemus et inſtituti noſtri et promiſſi ſuperius facti rationes poſtulant omnino. Commodum vero viſum eſt ſeruato iuſto temporis, quo quaelibet typis exſcripta et in publicum dimiſſa fuerunt, ordine ſingula enarrare. Prodierunt itaque

Anno MDLXV. De natura rerum iuxta propria principia libri duo, *Romae*, *apud Antonium Bladum in 4.* c)

MDLXX. De rerum natura iuxta propria principia liber primus et ſecundus, *denuo editi. Neapoli apud Ioſephum Cacchium in 4.* d)

De his quae in aere fiunt, *et de terrae motibus liber vnicus*, *illuſtriſſimo et reuerendiſſimo Tolomaeo Gallio*, *Cardinali Comenſi*, *Archi-Epiſcopo Sipontimo dedicatus. Neapoli apud eumdem in 4.*

De mari liber vnicus, *ad illuſtr. Ferdinandum Carafam Soriani Comitem*, *ibidem apud eumdem*, *4.*

De colorum generatione opuſculum, *illuſtriſſ. Ioan. Hieronymo Aqueuiuo*, *Hadrianenſium duci*, *inſcriptus ibid. apud eumdem. 4.*

MD-

MDLXXXVI. De rerum Natura iuxta propria principia libri nouem, ad illuſtriſſ. et excellentiſſ. D. Ferdinandum Carafam, Nuceriae Ducem, Neapoli apud Horatium Saluianum e) *fol.*

Et haec quidem *auctore* vulgata ſunt *ſuperſtite.* Fato autem functo ANTONIVS PERSIVS f) qui inter viuos agenti *noſtro* coniunctiſſimus omnium amicitia fuerat longeque cariſſimus anno MDXC. *Opuſculorum Teleſianorum Syntagma* aliquod curauit hoc indice inſtructum:

BERNARDINI TELESII, *Conſentini, varii de Naturalibus rebus libelli ab* ANTONIO PERSIO *editi, quorum alii nunquam antea excuſi, alii meliores facti prodeunt. Venetiis apud Felicem Valgriſium* MDCXC. in 4.

Sunt autem hi:

De Cometis et lacteo circulo.
De his quae in aere fiunt.
De Iride.
De Mari.
Quod animal vniuerſum ab vnica animae ſubſtantia gubernenetur.
De vſu reſpirationis.
De Coloribus.
De Somno.

Inter hoſce TELESII *libellos* iam viginti ante annos editos ille *de mari* aliquot capitibus eſt auctus; ille de *coloribus* vero longe alius hic prodit non verbis tantum ſed et opinione ac ſententiis. Reliqui ſex primum a PERSIO ex *αὐτογράφοις* ſunt additi, ſingulique ſingulis TELESII ac *philoſophiae Teleſianae* fautoribus praecipuis, alio loco nominandis, inſcripti. In omnibus vnice in ARISTOTELE *impugnando confutandoque* occupatur, eiusque de quolibet horum argumentorum ſententiam conuellere conatur. Solus ille: *Quod animal vniuerſum etc.* qui et prolixiſſimus omnium eſt, et XXXVIII. capitibus abſoluitur, GALENVM petit, et *cunctas animalis operationes ab vna eademque anima edi* aduerſus Medicum Pergamenum fuſe atque operoſe defendit. Ceterum TELESII *opera* ac famam breui temporis ſpatio Alpes

tranſilolaſſe ex repetita duos fere poſt annos *librorum de natura nouem* editione *Geneuae* cum *duobus* aliis *philoſophorum Italorum ſcriptis* facta rite atque ex vero conligimus, niſi fallimur. Titulus operi hic inſcriptus legitur: *Tractationum philoſophicarum tomus vnus; in quo continentur:*

I PHILIPPI MOCENICI, *Veneti*, *Vniuerſalium Inſtitutionum ad hominum perfectionem, quatenus induſtria parari poteſt, Contemplationes V.*

II ANDREAE CAESALPINI, *Aretini*, *Quaeſtionum Peripateticarum libri V.*

III BERNARDINI TELESII, *Conſentini*, *de rerum natura libri nouem.*

Excudebat Euſtathius Vignon, Atrebatenſis a. MDLXXXVIII fol. g)

Interim poſt exiguum temporis interuallum durius fatum hi ipſi *de natura rerum libri* vna cum aliis *duobus de ſomno*, et *quod animal vniuerſum etc.* experiri coacti ſunt, dum inclementi CLEMENTIS VIII. *Pontificis maximi* iuſſu, *Indici expurgatorio*, quem dicunt, *Romano* anno MDXCVI. a. d. XXVII. Martii publicato inſerti, et, *donec expurgentur prohibiti fuerunt* h); quod idem inſequenti ſaeculo de HVGONIS GROTII inprimis et RENATI CARTESII *ſcriptis philoſophicis* factum eſſe memoria tenemus. Quae quidem res, mirum non eſt, quod raram admodum i) *inuentuque difficilem* reddiderit, *Nepolitanam* non minus, quam & *Geneuenſem*, *operis* huius *Teleſiani* editionem. Denique ſcripſiſſe etiam noſter dicitur *librum de febribus;* et *commentarium* aliquem *Italicum* ſub hoc indice: *Vn Diſcorſo di quel folgore che caddè in forma di ferro in Caſtrouillari gli anni addietro.* Animus fortaſſe aliquando ipſi fuit litteris quaedam his de argumentis conſignandi; ſed nihil horum poſt obitum in eius ſcriniis repertum fuiſſe familiares teſtati ſunt apud NICODEMVM. Nos vero expoſitis hactenus cum cura quae ad ipſam TELESII *perſonam*, *fata* itidem ac *ſcripta* cognoſcenda pertinere viſa ſunt, quantum quidem eorum monumentorum certa fide nouiſſe licuit; ad *alterum* nunc *commentationis caput* progredimur; de *philoſophiae Teleſianae ſumma*, *propugna-*

pugnatoribus atque *aduerſariis* ſimili induſtria luculentam notitiam tradituri.

b) Multa in texendo hoc *ſcriptorum Teleſianorum catalogo* LEONARDI NICODEMI diligentiae nos debere vt fateamur, par eſt. Quem in recentiſſima *Elogiorum Thuaneorum* editione dedit TEISSIERIVS, ex NICODEMO quidem eſt decerptus, ſed, pro more hominis, neque perfectus neque ſatis adcuratus.

c) Praemiſſum eſt huic *primae editioni* (conf. ſupra articulum VIII.) *prooemium, prologi galeati* vicem ſuſtinens, quod in alteris duabus non legitur, monente NICODEMO. Illius quaedam ἀποσπασμάτια nos articulis IV. VII. VIII. et VIIII. in rem noſtram transſcripſimus.

d) *Secundae* huius *editionis* (compara artic. X.) vti et librorum *de mari*, et *de rebus quae in aëre fiunt terraeque motibus, paraphraſin Italicam* circa annum MDLXXIII. adornauit FRANCISCVS quidam MARTELLI, eamdemque alicui Romanae aulae *Purpurato* ex inluſtri *Mediceorum* gente inſcripſit. Nitido charactere exaratam *Manuſcriptam* adhuc in ſereniſſimi *magni Etruriae ducis Bibliotheca* Florentiae adſeruari ex ANTONII MAGLIABECCHII teſtimonio adfirmat NICODEMVS.

e) *Sardianum* hunc adpellat typographum MORHOFIVS *Polyhiſt.* tom. II. lib. I. cap. XV. §. 2. p. 108. Sed hunc vti et alium, quo, anno MDLXXXVII. editos *de natura* libros bis dixit, errorem ſiue auctoris eſſe praeſtantiſſimi, ſiue typothetae, nos αὐτόψια docuit.

f) ANTONII huius PERSII rarior eſt apud hiſtoriae Italorum litterariae, quos quidem conſulere licuit, commentatores memoria, vt adeo notitiam quamdam viri luculentiorem tradere haud integrum exſiſtat. Summa interim apud ſuos veneratione floruiſſe ex GASPARE SCIOPPIO, qui de facie nouit *Perſium*, cognoſcimus. Ille enim in libro quem, adſcito OPORINI GRVBINII nomine, *Amphotides Scioppianae* inſcripſit, *Pariſiis* an. MDCXI. 8, editum p. 243. *Philoſophorum* ipſum *Italiae coryphaeum, eumdemque theologum et ICtum non vulgarem, cuius virtutem, fidem, et dignam philoſopho grauitatem, Italia omnis perſpectam habeat*, adpellauit.

g) Iubet grati animi officium, vt, quod olim iam feceramus, commodo heic loco repetamus atque commemoremus *editionem* TELESII *de natura rerum Neapolitanam* rariſſimam communicatam tum nobiſcum beneuole fuiſſe abs viro inluſtri NICOLAO HIERONYMO GVNDLINGIO, praematura morte commodis eruditae ciuitatis iam erepto; *Geneuenſis* autem, vti et *opuſculorum* a PERSIO editorum vſum humaniſſime conceſſiſſe conſultiſſimum doctorem IOANNEM FRIDERICVM BIECKIVM, fautorem optimum, ex ampliſſimi *Senatus Halenſis* Magdeburgici *Bibliotheca Mariana*, cuius curam ipſe tum maxima cum ſui laude ſuſtinebat.

h) Refert haec praeter alios HYACINTHVS GIMMA in *Idea hiſt. litter. Italiae* ſaepius laudata tom. II. cap. XXXVIII. §. 4. p. 478.

i) Confer praecipue praeclari in litteris aetate noſtra nominis, ERNESTI SALOMO-

LOMONIS CYPRIANI luculentum *de vita & philoſophia* THOMAE CAMPANELLAE Commentarium p. 8. edit. recent. qui idem propter *raritatem* integrum TELESII in hos libros *prologum*, editioni *tertiae* praemiſſum opuſculo huic inſeruit, et in paginas 9. - 11. transſcripſit. Si interim *neglectum cauſſam raritatis* horum ſcriptorum *ſociam* habere ac dicere aliquis voluerit cum doctiſſimo SCHELHORNIO noſtro, *amoenitat. litt.* tom. II. art. I. §. 12. p. 413. facere illud quidem poterit nobis minime repugnantibus.

CAPVT II
DE
PHILOSOPHIA TELESII
ADVERSARIIS ITEM ATQVE HYPERASPISTIS

I

De Philoſophia TELESII *ante nos dixerunt* VERVLAMIVS, SORELLVS, MORHOFIVS, CRENIVS.

Inſtituti ratio nunc poſtulat vt *altero* hoc *commentationis noſtrae capite de Philoſophia* etiam TELESII, eiusque tum *impugnatoribus* tum *propugnatoribus*, diligenter diſſeramus. Equidem ſuperfluum hoc, quidquid eſt, laboris videri poſſet nonnullis, peculiarem *ſecunda* hac *ſectione* negotio huic a nobis impendi operam; quum ſcilicet non defuerint omnino inter eruditos qui *philoſophi noſtri ſententiarum* praecipuarum pridem *recenſum* dederint, easdemque curato examini ſubiecerint. Non ignoramus nos certe, ſummum virum, FRANCISCVM BACONVM DE VERVLAMIO, magnum quondam Angliae Cancellarium, peculiari libello, qui inter ipſius *opera* iunctim vulgata hoc titulo inſignitus exſtat: a) *De principiis atque originibus ſecundum fabulas Cupidinis*

dinis et Caeli, *ſiue* PARMENIDIS *et* TELESII, *et praecipue* DEMOCRITI, *philoſophia, tractata in fabula de Cupidine; in placita* TELESII ſtrictim propoſita profundius inquiſiuiſſe. Conſtat nobis etiam ex beneuolo clariſſimi HEVMANNI indicio, per litteras ante aliquot iam annos facto, CLAVDIVM SORELLVM, Gallum non obſcuri nominis, in libro *de perfectione hominis*, b) *vernacula* ſibi lingua conſcripto, et in *Germanicum* quoque ſermonem a nobiliſſimo viro, IOANNE VILELMO, *domino de* STVBENBERG, conuerſo, prolixe eadem cum addita cenſura recenſuiſſe. Neque nos fugit doctiſſimum virum, DANIELEM GEORGIVM MORHOFIVM, tum in vno pluribus *Polyhiſtoris* ſui locis, tum aliquo praecipue c) cum cura in *Teleſianae phyſices principia* diſputauiſſe. Optime denique meminimus THOMAM CRENIVM, hominem diligentiſſimum, eamdem alicubi d) operam nauandam ſibi propoſuiſſe. Verum enim vero haec omnia ita comparata nos quidem exiſtimamus vt noſtrae nihil omnino induſtriae praecipiant. Praeterquam enim quod, dum *ſingulari* hoc *libro* inſtaurare TELESII MEMORIAM inſtituimus, lectores poſtulaturos, et iure quidem ſummo poſtulaturos eſſe, credamus, vti et *doctrinarum* huius *viri ſingularium notitia* ſibi aliqua propinetur: noſtra quidem miris modis a quatuor, quos diximus, virorum relationibus diſcrepabit *philoſophiae Teleſianae* expoſitio. Etenim VERVLAMIVS, qui princeps ad ſimilem operam perficiendam acceſſit, eamdemque omnium diffuſiſſime abſoluit, hoc magis ſpectauit tamquam finem, vt cognationem *ſcitorum* TELESII cum *veteri* PARMENIDIS atque DEMOCRITI *Philoſophia* demonſtraret, ſingula autem curatiori, pro ingenti animi ſui perſpicientia, examini ſubiiceret ſimul: quum nobis contra ſufficiat ad *hiſtorici* munia rite complenda, ex ipſis viri ſcriptis, nouem illis potiſſimum *de natura rerum* libris, quorum *editionem Geneuenſem* e) vſurpare licuit, diligenter atque cum cura inſpectis, *praecipuas* ipſius *ſententias* veluti in ſynopſi referre, addita tamdem ad finem ἐπικρίσει tantum generaliori, et recenſione, quantum fieri quidem potuit, abſoluta tum *fautorum* tum *inimicorum* quos experta fuit *Teleſiana* philoſophandi

 ratio;

ratio; quod argumentum nemini adhuc tractatum omnino meminimus. De SORELLO quid ſtatuendum ſit, ignoramus; quum librum iſtum inſpicere, licet non obiter quaeſitum, haud integrum hactenus fuerit. MORHOFIVM vero VERVLAMII veſtigia in hoc argumento enarrando ſequutum fuiſſe admodum preſſe, niſi quod hinc inde ex ſuo quaedam interſeruit ingenio, inſtituta vtriusque ſcriptoris edocuit comparatio. CRENII tamdem opera tumultuaria fere eſt, neque hinc etiam ſatis amplam ac iuſtam lectori hac de re datura ideam; qui et paucula illa, quae ibi diſputat, tantum non ad ſingula quaſi verba ex MORHOFIO in ſuos vſus transſcripſit.

a) Legitur haec profundi ſenſus, quo polluit vtique vir praeſtantiſſimus, diatribe inter eiusdem *Opera* Francofurti MDCLXV. fol. edita in faſciculo *ſcriptorum ad naturalem et vniuerſalem philoſophiam* facientium num. V. pag. 650. - 676. Nos paſſim ad illam inferius prouocabimus.

b) SORELLVS *von der Vollkommenheit des Menſchen* (*de la perfection de l' homme*) p. 413. - 428. editionis Germanicae.

c) MORHOFIVS in *Polyhiſtore* tom. II. lib. I. cap. XV. §. 2. p. 108. maxime vero eiusdem tomi lib. II. parte I. cap. XIII. §. 2. p. 230. - 238.

d) CRENIVS in notula quadam ad THOMAE CAMPANELLAE *Syntagma de libris propriis*, quod is ſuae *variorum de philologia et liberalibus artibus meletematum Syllogae* Lugd. Bat. MDCXLVI. 4. editae rurſum inſeruit p. 172 - 222. haud procul a limine Syntagmatis.

e) Huius *editionis Geneuenſis*, tamquam *Neapolitana* illa rariſſima repertu multo facilioris, folia ac paginas innuimus, ſi quando adpellamus in poſterum TELESIVM. *Opuſculorum* vero a PERSIO vulgatorum exemplum, quod *vnum* exſtat, *Venetum* in ſimili caſu intelligimus. De reliquo hoc addere liceat; nos in referendis *placitis Teleſianis* breuitatem decentem ſectatos, ſtrictim ſaltim illa recenſuiſſe; ſimili prorſus modo, quo R. RAPINVS *phyſicam* ARISTOTELIS *in Reflexions ſur la Phyſique cap. IV. - VI.* propoſuit.

II.

Inter Nouatores pariter atque inſtauratores locum obtinet TELESIVS. *Obiter, quid Nouator in philoſophia, quid Inſtaurator? item de* PARMENIDE *eiusque principiis, quae is recoxiſſe dicitur.*

Geminum vero in Philoſophorum, vti ita dicam, Synedrio occupat *noſter* ſubſellium; *Nouatoris* vnum, *Inſtauratoris* alterum. Conſtat ſcilicet, duplicem f) potiſſimum ingreſſos eſſe viam illos, qui, redeunte ſenſim poſt barbari aeui tenebras, veluti litterarum vniuerſim, ita et *philoſophiae cultioris* luce, excuſſo *Ariſtotelicae* ſeruitutis iugo, ſibi ipſis vel tamdem ſapere felici ſidere occoeperunt, viros praeſtantiſſimos. Aliqui nimirum, abiecto *auctoritatis* vnius tantum Magiſtri, in cuius verba vnice iurarent, *idolo*, ipſi *proprii ingenii* vim iudiciique aciem, neque id ſemper infeliciter, adhibuerunt, ac *proprio* ſibi ipſis meditamentorum *Syſtemate* formato, *nouum* plane vel omni vniuerſim philoſophiae, vel nobiliori minimum eiusdem diſciplinae ac parti, habitum induere ſunt anniſi; veluti HIERONYMVS CARDANVS, THOMAS CAMPANELLA, PETRVS RAMVS, FRANCISCVS DE VERVLAMIO, RAIMVNDVS LVLLIVS, THEOPHRASTVS PARACELSVS, HENRICVS MORVS, RENATVS CARTESIVS, et plures alii. Et hos *Nouatores* nuncupant. Alii iterum, diuerſo ab his tramite incedentes, variarum inter *priſcos philoſophos haereſium celebriorum dogmata* in ſcenam *reduxerunt* ſuis obſeruationibus adaucta, polita atque inluſtrata. Fecerunt id in primis de *philoſophia Pythagorica*, IOANNES REVCHLINVS et FRANCISCVS GEORGIVS; de *Platonica*, BESSARION *Cardinalis* et MARSILIVS FICINVS; de *Stoica*, IVSTVS LIPSIVS et GASPAR SCIOPPIVS; de *Democritea*, IOANNES CHRYSOSTOMVS MAGNENVS; de *Epicurea*, PETRVS GASSENDVS et GVALTERVS CHARLETONIVS; de *Peripatetica* demum,

pura illa quidem et intaminata, neque *Scholaſticorum* interpolationibus commaculata, in plurimis Europae cultioris academiis longe plurimi ac tantum non infiniti. Et hi *Inſtauratorum* nomine peritis cenſeri conſueuerunt g). *Noſter* vero, quod diximus, ad *vtramque claſſem* pertinet. Et *Nouatoris* quidem titulum h) abunde ſibi vindicauit, dum repudiatis atque reiectis, quae tot retro ſaeculis vnice in ſcholis atque ſacris collegiis obtinuerant, ſiue *Platonicorum* ſiue *Peripateticorum* placitis, in diuerſum plane abierat, *proprium* ſibi *iuxta propria principia* rerum naturalium cognoſcendarum *Syſtema* meditatus, neque *fatorum* etiam, quae *Nouatoribus* interdum accidere conſueuerunt, omni ex parte immunis i). *Inſtauratoris* vero perſonam in hoc vtique ſuſtinuit, quod PARMENIDIS k), in Eleatica quondam ſchola poſt XENOPHANEM *Colophonium* principis, *principia*, ſuo tempore memoria hominum tantum non prorſus oblitterata atque deleta, denuo *reſuſcitauit* l), et in rem ſuam ingenioſe conuertit. Equidem nihil fere monimentorum hodienum ſupereſt, praeter exigua aliquot placiorum ipſius fragmenta, quae DIOGENIS LAERTII, CLEMENTIS ALEXANDRINI, STOBAEI, SIMPLICII et paucorum aliorum inter priſcos, inter recentiores autem HENRICI STEPHANI, *Poeſeos philoſophicae* conquiſitoris doctiſſimi, induſtria ſeruauit; vnde de ſententiis PARMENIDIS argumenta capere liceat. Exſtat tamen adhuc inter PLVTARCHI ad philoſophiam *Opuſcula* breuis aliquis περὶ τȣ πρώτȣ ψυχρȣ, *de primo frigido*, libellus m), quem ad PARMENIDIS doctrinam ab *ignoto* quopiam *auctore* compoſitum, et hinc inter PLVTARCHI ſcripta relatum, fuiſſe non diſſimile veri videtur aliquibus rerum harum intelligentibus. Princeps inter hos VERVLAMIVS n), coniectura non prorſus abſurda exiſtimauit, primam libri huius lectionem TELESIO cogitationem ſuppeditauiſſe ſimillimam de *duobus rerum principiis, calido atque frigido*, opinionem arripiendi, qualis et ibi variis pariter atque acutis contra *Peripateticorum* maxime obiectiones rationibus adſtruitur.

f) Addunt alii tertiam quamdam claſſem *Conciliatorum*, quos et *Syncretiſtas*,

ſtas, transſumto ex Theologorum ſcholis cognomento, nonnulli nuncupant. Horum vero nos quidem in praeſentia nulla cura adficit.

g) Expedita eſt apud rerum peritos, eorum, quae heic poſuimus, veritas. Hiſtoriae autem philoſophicae ſtudioſi, qui inſtrui in his argumentis cupiunt vberius, adeant ſcriptores quos ad tertium caput *Bibliothecae philoſophicae Struuianae* quondam commendauimus, ſi placet.

h) Ita VERVLAMIVS in *Aphoriſmis* de *auxiliis mentis et accenſione luminis naturalis* cap. II. Opp. p. 471. *nouam poſt antiquos ſcenam inſtruxiſſe et fabulam nouam egiſſe* ait TELESIVM, FRANCISCO PATRITIO, IORDANO BRVNO, SEVERINO DANO, GILBERTO ANGLO atque THOMA CAMPANELLA ſociis, conlat. praefat. ad *hiſtoriam ventorum* p. 347. Item in *ſilua ſiluarum ſ. hiſt. nat. centur.* I. n. 69. p. 772. *inter nouitios prae omnibus commendatum*, et in libro *de fabula Cupidinis* pag. 661. *nouorum omnium primum* agnoſcit. NICOLAVS TOPPIVS *bibliothecae Neapolitanae* f. 344 *hà ſcritto*, inquit, *il* TELESIO *contro tutta la filoſofia di* ARISTOTILE, *ed hà inueſtigato vna nuoua filoſofia.* Conſona habet HYACINTHVS GIMMA *hiſtor. letterata d'Italia* tom. II. cap. XXXVIIII. art. VI. §. 12. p. 11. ſcribens: *Ma ritornando alla nuoua filoſofia, ed alla libertà di filoſofare, prima incomminciata in Italia*, TOMMASO CORNELIO, *Conſentino, ne dà la gloria à tre illuſtri Italiani, dicendo: Mitto ſapientiam* ARISTOTELICO *nomini, re autem vera ſophiſticis tricis iam diu emancipatam, Italiae primum adſertam ab illuſtribus illis philoſophicae libertatis vindicibus*, TELESIO, PATRITIO et GALILAEO, rel. Quae nobiliſſimi GIMMAE verba: *alla libertà di filoſofare prima incominciata in Italia*, ſi hoc innuere, vti videtur fere, debeant, *primos omnium Italos philoſophandi libertatem amplexos* fuiſſe, vereor vt illud concedant rerum quae in litteris geſtae ſunt conſulti; neque id etiam CORNELII, quem is ducem ſequi profitetur, teſtimonium infert, ſermonis ſummam expreſſe ad *ſolam Italiam* reſtringens. Sed haec ἐν παρόδῳ. Nuper demum TELESIVM *celebrem aetate ſua in philoſophia nouatorem* itidem nuncupauit IACOBVS ECHARDVS, *Bibliothecae Dominicanorum* tom. II. p. 506. in *vita* CAMPANELLAE. Sed quid congeſtamus plures eruditorum calculos? quum res ipſa loquatur. Id vnum addimus, optima hinc ratione egiſſe clariſſ. FRIDERICVM GENZKENIVM, quod in eleganti *Hiſtoriae philoſophicae* compendio part. III. membr. II. cap. IIII. §. 1. p. 225. MORHOFII exemplum ſequutus, *principem noſtro* inter *Nouatores in philoſophia naturali* locum adſignauit. Ceterum comparari heic cum fructu poterit gemina doctiſſimi BONIFACII HENRICI EHRENBERGERI *de nouitatis ſtudio*, et de *Nouatorum in philoſophia requiſitis* diſſertatio Ienae MDCCXII. propoſita; et alia cl. IOAN. CONRADI ARNOLDI, Profeſſoris Gieſſenſis, *de nouitate philoſophandi*, Gieſſae MDCCXXIV. habita: qui poſterior tamen vir eruditiſſimus, dum §. XI. p. 17. *Neo-Pythagoricam philoſophandi rationem inſtauraniſſe, vnde et Teleſina dicta ſit,* TELESIVM adfirmat, et §. XXVI. p. 39. repetit eumdem *de priſca* PYTHAGO-

GORAE, *per numeros docentis*, *philoſophia optime meruiſſe*; ommiſſa plane PARMENIDIS mentione; neque verbulo quidem addit diſſenſus ſui cauſſas a reliquis, qui communi ſententia PARMENIDIS *principia excitauiſſe* denuo *noſtrum* ſtatuerunt, ſuſcepti: ignoramus nos quidem, num plurimi acceſſuri ſint *nouae* huic *Arnoldinae* opinioni; quum praeſertim minus adhuc expeditum habeatur inter hiſtoriae philoſophicae peritos, num reuera inter PARMENIDIS *ſcita* PYTHAGORAE *placitorum* veſtigia reperiantur; quod quidem ſi eſſet, tum demum *Neo-Pythagoraei* adpellatio merito in *noſtrum* conferretur.

i) Conf. quae diximus capite I. §. VIIII. not. n) et §. XII. not. h)

k) PARMENIDES, XENOPHANIS *Colophonii* ἑταιρος, *diſcipulus*, teſte ARISTOTELE *Metaphyſicorum* lib. I. cap. V. claruiſſe vulgo perhibetur olympiade LXVIIII. Mira eſt ſcriptorum, veterum in primis, diſſenſio in referendo, num ſcripſerit aliquid PARMENIDES an ſecus; quid ſcripſerit; et qua denique oratione, num proſa, num vorſa, num vtraque ſcripſerit? Teſtantur hoc LAERTIVS *de vitis philoſophorum* Lib. VIIII. Segm. XXI. ſeq. SEXTVS EMPIRICVS lib. VII. *aduerſ. Mathem.* SVIDAS in Παρμενιδης et plures alii, relati a ſummo viro, IO. ALBERTO FABRICIO, *Bibl. Graec.* L. II. c. XXIII. §. 3. p. 759. Noſtrum non eſt has lites componere ac conciliare. Sufficit nobis in praeſentis Argumenti vſum in hoc conſpirare auctores plurimos, ita omnino *de principiis rerum* tradidiſſe PARMENIDEM, quemadmodum ipſum feciſſe narrat PHILOPONVS *Comment. in Phyſ. I.* ARISTOTELIS: Παρμενιδης, ſcribens, ἐν τοις προς δοξαν, πυρ και γην ἐλεγεν ἐιναι την ἀρχην των παντων· ἐν δε τοις προς ἀληθειας, ἑν ἐιναι το παν, και ἀπεπερασμενον και ἀκινητον. Summa huc redit: *duplicem* eſſe *philoſophiam*; ex *veritate* vnam, ex *opinione* alteram. Secundum hanc, *ignem* et *terram* ſiue *calidum* et *frigidum*, *prima* eſſe *rerum elementa*. *Igni* efficientis cauſſae, *terrae* autem materiae partes adſignandas eſſe. Secundum veritatem autem *vnum eſſe vniuerſum*, atque illud *infinitum*, *immobile*. Mirum eſt, non obeſae naris viros, PETRVM GASSENDVM, RADVLPHVM CVDWORTHVM, MICHAELEM MOVRGVESIVM, atque alios, *Atheiſmi* monſtrum adeo non heic ſubodoratos eſſe, vt potius inſignem PARMENIDI locum inter Gentiles contra Πολυθεοτητα teſtes tribuendum duxerint. Solide contrarium, noſtra quidem ſententia, demonſtrauit *Gundlingianorum* primus conditor num. XV. Articulo I. oſtenditque, dicis tantum, quod aiunt, cauſſa, ac vt vulgo fucum faceret, frigidam illam *de calido et frigido*, rerum vniuerſarum principiis, hypotheſin excogitauiſſe philoſophum; qui ſcilicet altero illo ſuo de *vnica*, *infinita* et *immobili ſubſtantia* dogmate, motum omnem ex vniuerſo ſuſtulerit, et, quae in mundo contingunt, mutationes, pro ſuauibus *deceptorum ſenſuum* ludibriis habuerit. Habuit interim eadem ſententia inter veteres patronum ARCHELAVM, SOCRATIS praeceptorem; quae a *Chaldaeis* ad *Graecos* tranſiiſſe videbitur omnino, ſi, quae de ZARATA *Chaldaeo*, quem PYTHAGORAS quondam audiit, apud *auctorem* των Φιλοσοφεμενων, ORIGENI vulgo tributorum cap. II. p. 41. leguntur, conlato cap. XI. p. 87. rite quis penſitauerit.

l) Conf.

l) Conf. VERVLAMIVM *de Augmentis Scientiarum* lib. III. cap. IIII. p. 89. *In ſilua ſiluarum* loc. cit. praeſertim vero in *fabula de Cupidine*, p. 660. vbi, PARMENIDIS, inſit, *placita ſaeculo noſtro inſtaurauit* TELESIVS, *vir Peripateticis rationibus, ſi aliquid illae eſſent, potens et inſtructus; quos etiam in illos ipſos vertit; ſed adfirmando impeditus, et deſtruendo quam adſtruendo melior. Interpolatorem* PARMENIDIS adpellat V. C. IO. CHRISTOPHORVS VOLFIVS in notis ad *Philoſophumena* ORIGENIS p. 87. et PARMENIDIS *placita vtcumque incruſtanda in ſe ſuſcepiſſe* ait clariſſ. FABRICIVS loc. cit. Vide et GIMMAM *hiſt. lett. d' Italia* tom. I cap. XXXI. §. 78. p. 59. ſcribentem: *Queſta filoſofia di Ariſtotile hà negli vltimi Secoli auuto nuoui impugnatori; perchè moltiplicandoſi gl' ingegni, e fiorendo lo ſtudio delle Scienze, altre filoſofie hanno abbracciato e riuocato; come han fatto il* TELESIO, *il* CAMPANELLA, *il* GALILEO, *il* VERVLAMIO, DIGBEO, GASSENDO, CARTESIO, ELMONTIO *ed altri molti.*

m) Legitur hoc *περι τȢ πρωτȢ ψυχρȢ* meletema tomo II. *Opp.* PLVTARCHI p. 945 - 955. edit. GVILIELMI XYLANDRI, Francof. 1620. fol.

n) En tibi illius verba. loc. cit. p. 660. PARMENIDIS, ſcribit, *inuentorum parca admodum et perexilis memoria eſt. Attamen fundamenta ſimilis opinionis plane iacta videntur in libro quem* PLVTARCHVS *de primo frigido conſcripſit: qui tractatus videtur ex aliquo tractatu antiquo, qui tunc temporis exſtabat, interiit autem poſtea, deſcriptus et deſumtus. Habet enim non pauca et acutiora et firmiora, quam ſolent eſſe auctoris ipſius qui ea vulgauit; a quibus monitus et excitatus videtur* TELESIVS, *vt ea et ſtudioſe arriperet, et ſtrenue perſequeretur in ſuis de natura rerum commentariis.* Interim ne quis offendatur hocce VERVLAMII de PLVTARCHO iudicio; quo quippe doctiorem hunc libellum eſſe adſerit, quam qui illum auctorem poſſit agnoſcere. Pridem enim obſeruatum fuit eruditis, quod in practica magis quam theoretica philoſophia virum ſe praeſtiterit PLVTARCHVS. Conf. clariſſ. STOLLII *hiſtor. erudit.* parte II. cap. IIII. §. XX.

III

De pretio quod TELESIVS *ſenſui ſummum conſtituit in inquirendis rerum naturalium cauſſis.*

Non ita tamen ſeruili ſtudio PARMENIDEM ducem atque auctorem ſectatus eſt *noſter*, vt non diuortium in quibusdam ab illo placitis faceret, et ſagaci iudicio laudatiſſimoque inſtituto ἐκλεξιν quamdam ſuſciperet. o) Si alia omnia deeſſent huius rei argumenta, vnum illud, noſtra quidem ſententia, ſufficere poſſet; quod, quum vel exiguum, vel

vel potius plane nullum, *ſenſui* in indaganda rerum natura vſum concederet PARMENIDES; p) TELESIVS contra *ſenſuum fidem* princeps inquirendae veritatis adminiculum celebraret. q) Probe ſcilicet intellexit *noſter*, ingenuo philoſophiae cultori *mutua ſenſuum ingeniique opera* vtendum, neque *ſenſui* vni poſthabita *intellectus* adplicatione, neque vni *intellectui* contemto *ſenſuum* miniſterio deferenda eſſe omnia. Quod poſterius dum facerent *Pythagorici*, *Platonici* ac *Peripatetici*, qui ad *intellectum* vnice omnia referebant, ſuosque tantum *numeros*, *ideas* atque *formas* crepabant, a quibus toto iterum, quod dicimus, caelo abhorrebant DEMOCRITI EPICVRIQVE diſcipuli, omne pretium in *vno ſenſu* reponentes; non potuiſſe non fieri TELESIVS deprehendit, vt mirifice vtrique a recto veritatis tramite ſaepiſſime deflecterent. Nemo fuerit facile qui hoc modo optime ſuas rationes ipſum iniiſſe non exiſtimet, et laudibus inſtitutum ſummis proſequendum eſſe adfirmet. Verum enim vero deprehendit VERVLAMII r) ſagacitas, hoc ipſum vitium quod in *Peripateticorum* familia potiſſimum ille damnauit atque ſe auerſari profeſſus eſt, ipſummet non ſatis catum, pro humanitatis indole, haud vbique euitauiſſe.

o) Factum hinc eſt cum optima ratione a doctiſſimo HEVMANNO, qui in *Actis Philoſophorum* parte III. artic. II. §. XV. p. 471. *Eclecticorum* Catalogo *noſtrum* adſcripſit.

p) Confer poſt locum LAERTII ſupra adlegatum THOMAM STANLEIVM *Hiſt. Philoſ.* parte X. cap. II. p. 877. col. I.

q) Meretur integrum huc transſcribi TELESII *prooemium* editioni *de rerum natura librorum* poſtremae praefixum; quod licet itidem legere poſſint illi, qui clariſſ. CYPRIANI *vitam* CAMPANELLAE poſſident, in qua p. 9 - 11. exhibetur, viſum tamen nobis eſt huc magis pertinere, vt conſilii ratio, quod amplectendum cenſuit *noſter*, inde luculentius intelligatur. Verba haec fere ſunt: *Qui ante nos*, ſcribit, *mundi huius conſtructionem rerumque in eo contentarum naturam perſcrutati ſunt, diuturnis quidem vigiliis, magnisque illam indagaſſe laboribus, at nequaquam inſpexiſſe, videntur. Quid enim iis illa innotuiſſe videri queat, quorum ſermones omnes, et rebus, et ſibi etiam ipſis diſſentiant, aduerſique ſint? Id vero propterea iis eueniſſe exiſtimare licet, quod nimis forte ſibi ipſis confiſi, nequaquam, quod oportebat, res ipſas earumque vires intuiti, eam rebus magnitudinem, ingeniumque et facultates, quibus donatae videntur* (et ſenſu percipiuntur) *indidere; ſed veluti cum Deo de ſapientia contendentes decertantesque, mundi ipſius principia*

et

et cauſſas ratione inquirere auſi, et quae non inuenerant, inuenta ea ſibi eſſe exiſtimantes volentesque, veluti ſuo arbitratu mundum effinxere. Itaque corporibus e quibus conſtare is videtur, nec magnitudinem poſitionemque, quam ſortita adparent, nec dignitatem viresque, quibus praedita videntur, ſed quibus donari oportere propria ratio dictitauit, largiti ſunt. Non ſcilicet eo vsque ſibi homines placere, et eo vsque animo efferri oportebat, vt, veluti naturae praeeuntes, et Dei ipſius non ſapientiam modo, ſed et potentiam adfectantes, ea ipſi rebus darent, quae rebus ineſſe intuiti non forent, et quae ab ipſis omnino habenda erant rebus. Nos non adeo nobis confiſi, et tardiore ingenio, et animo donati remiſſiore, et humanae omnino ſapientiae amatores cultoresque, (quae quidem vel ad ſummum perueniſſe videri debet, ſi, quae ſenſus patefecerit, et quae e rerum ſenſu perceptarum ſimilitudine haberi poſſunt, inſpexerit) mundum ipſum et ſingulas eius partes, et partium rerumque in eo contentarum paſſiones, actiones, operationes et ſpecies, intueri propoſuimus. Illae enim recte perſpectae propriam ſingulae magnitudinem; hae vero ingenium viresque et naturam manifeſtabunt. Vt ſi nihil diuinum, nihil admiratione dignum, nihil etiam valde auctum noſtris ineſſe viſum fuerit; at nihil ea tamen vel rebus, vel ſibi ipſis repugnent vnquam; ſenſum videlicet nos et naturam, aliud praeterea nihil, ſequuti ſumus, quae perpetuo ſibi ipſi concors, idem ſemper et eodem agit modo, atque idem ſemper operatur. Nec tamen (ſi quid eorum, quae nobis poſita ſunt, ſacris litteris, Catholicae Eccleſiae decretis non cohaereat) tenendum id; quin penitus reiiciendum adſeueramus contendimusque. Neque enim humana modo ratio quaeuis, ſed ipſe etiam ſenſus illis poſthabendus, et, ſi illis non congruat, abnegandus omnino et ipſe etiam ſenſus. Hactenus TELESIVS.

r) VERVLAMIVS loc. cit. p. 668. *Aliquando*, inquit, *more ſuorum Aduerſariorum gerere ſeſe deprehenditur* TELESIVS; *qui, quum prius opinantur quam experiuntur, vbi ad res particulares ventum eſt, ingenio et rebus abutuntur, atque tam ingenium quam res miſere lacerant et torquent; et tamen alacres et, ſi ipſis credas, victores ſuo ſenſu vtcumque abundant.* Ceterum exſtat in clariſſ. PETRI NICERONII *Memoires pour ſeruir à l' hiſt. des hom. illuſtr.* tom. III. p. 48. *epiſtola* quaedam VERVLAMII ex αὐτογράφῳ tum primum edita ad REDEMPTVM BARANZANVM, ſubtilis ingenii ſub ſaeculi XIII. initia philoſophum, *Londino* vltimo Iunii anno MDCXXII. perſcripta, quo ipſo anno a. d. XXIII. Decembris immaturo fato, XXXIII nempe annis vix completis, functus eſt BARANZANVS; quam, quod breuis ſit, et ad VERVLAMII de TELESIO ſententiam confirmandam apprime pertineat, transferre huc libet. Illa vero haec eſt: *Opera tua, quae publici iuris ſunt, inſpexi; magnae certe ſubtilitatis et diligentiae in via veſtra. Nouatores quos nominas,* PATRITIVM, TELESIVM, *etiam alios, quos praetermittis, legi. Poſſint eſſe tales innumeri, veluti etiam antiquis temporibus fuerunt* ANAXIMENES, ANAXAGORAS, DEMOCRITVS, PARMENIDES *et alii; nam* PYTHAGORAM, *vt ſuperſtitioſum ommitto. Inter iſtos, tam antiquos, quam modernos, differentiam facultatis agnoſco maximam, veritatis perparum. Summa rei eſt; ſi homines ſe rebus ſubmittere velint, ali-*

 quid

quid conſiet; ſin minus, ingenia iſta redibunt in orbem. Stabilita iam ſit inter nos notitia, meque vt coepiſti, maxime autem veritatem, ama. Vale. Tui amantiſſimus S. ALBANS.

IIII

Principia rerum naturalium conſtituit tria: calorem, frigus, materiam. Hinc exſiſtunt duo corpora primaria, caelum et terra.

T*ria* autem omnino *rerum*, quae exſtant, *omnium principia* ſtatuit *noſter: Agentes* naturas *duas incorporeas*, et, quae illas ſuſcipiat, *vnam corpoream*. s) Illas *calorem* et *frigus*; hanc *materiam* adpellat. t) *Calorem* ſui natura *mobilem*, immo ipſi motui tempore, natura ac dignitate praeire, eiusque cauſſam eſſe dicit. v) *Frigus* contra *immobile* ait. x) Ab *hoc terram*, et, quaecumque illi inditae ſint, facultates; ab *illo ſolem* eſſe conſtitutum; y) vna cum reliquis *ſtellis* omnibus *caeloque* vniuerſo. z) *Agentia* vero iſta *duo principia*, ambo ſcilicet *incorporea*, *corporea* opus habere *mole*, qua ſuſtineantur, ſiue *materia;* quae tamen neque augeatur neque minuatur vmquam in vniuerſo, a) *omnisque actionis* ſit *expers*, et ſui natura *inuiſibilis* ac *nigra* exſiſtat; b) de cetero autem *vtriusque principii operationibus ſuſcipiendis* ex aequo *apta*. Porro pollere ipſi dicuntur *duae* iſtae *naturae agentes facultate* non tantum *ſe* adſidue *multiplicandi* et quaquauerſum effundendi; ſed et perpetuo ſeſe inuicem *oppugnandi*, propriisque ex ſedibus depellendi; *actiones* itidem atque *paſſiones* et *alterius* principii oppoſiti, et *proprias*, *percipiendi* ſentiendique. c) Ex hiſce *principiis* mutuo ſibi *oppoſitis duo mundi corpora primaria caelum* atque *terram* ortum ipſius ducunt ex ſententia; reliqua, quae *ſecunda* dicit, *ex terra* omnia a *ſole* diuerſis modis immutata ſunt efficta; d) ex qua et *mare* eductum, et continuo adhuc cottidie educi adfirmat. e) Ceterum *diuerſas*, quibus res gaudere, et abs ſe in vicem diſtingui, cernimus, *naturas* atque diſpoſitiones,

diuer-

diuerſis, quibus *calor* operatur, *viribus locorumque interuallis* tribuit, cuius quippe actionem *frigus* ſubinde ſoleat intercipere; f) licet non diſtincte ſatis *caloris* iſtas *differentias*, vti et *materiae*, percipi poſſe adcurateque determinari ingenue fateatur. g) Fuſius interim haec omnia *libris ſecundo* et *tertio*, qui mere ſunt *polemici*, et ARISTOTELEM, HIPPOCRATEM, GALENVM atque AVERROEM, eorumdemque *adſeclas*, ac *qualitatum elementarium*, *quatuor in corpore humorum*, et ſimilium placitorum patronos reliquos, feriunt potiſſimum, vindicat atque confirmat.

s) TELESIVS *de natura rerum* libro I. cap. IIII. fol. 559. edit. *Geneuenſis*. Hanc enim, quod ſupra iam monitum eſt, vnice in poſterum indigitamus.

t) Scilicet τῳ θερμῳ τε και τῳ ψυχρῳ, *duobus* illis iuxta PARMENIDIS *phyſiologiam principiis*, *tertium* adhuc iunxit, *materiam*, TELESIVS. Equidem VERVLAMIVS hoc ipſum feciſſe ſtatuit, quod *notionibus Peripateticis*, quarum quippe reliquiae adhuc nonnullae eius ingenio ex priſtina iuuenili diſciplina inſediſſent, *deprauatus* fuerit. MORHOFIVS contra loc. cit. *rem aliter haud potuiſſe ab ipſo expediri* potius exiſtimat. *Neque enim videre ſe*, addit, *quei* TELESIVS *ſuis ſeſe explicaret principiis, niſi et materiam agnoſceret, quam quidem adeo frigido illi ſuo implicaſſet, vt ſeparari abs ſe inuicem haud poſſint. Neque enim illum extra materiam quid frigidum ſit? poſſe demonſtrare; neque ipſam materiam ita diſtinctam explicare noſſe, niſi ex illis, quae materiam conſequuntur, adfectionibus.*

v) TELESIVS lib. I. cap. VIII. f. 566.

x) id. eodem cap. II. f. 557.

y) id. lib. I. cap. I. f. 555.

z) id. lib. I. cap. III. f. 558. conlat. lib. IIII. cap. III. f. 696.

a) id. lib. I. cap. V. fol. 561.

b) id. lib. I. cap. IIII. fol. 559.

c) id. lib. I. cap. VI. fol. 562.

d) id. lib. I. cap. XI. fol. 511.

e) id. lib. I. cap. XII. fol. 572. conlato eiusdem *libro de mari* cap. VIII. pag. 10. edit. PERSII.

f) id. lib. I. cap. XIII. fol. 515.

g) id. lib. I. cap. XVII. fol. 582. conlato lib. II. cap. XXIII. fol. 623.

V

Caloris in caelo, frigoris in terra ſedes praecipua. Poſterioris huius principii naturam obſcurius deſcripſit TELESIVS, *ſuppletus hinc a* VERVLAMIO.

Ceterum illud etiam adhuc probe venit obſeruandum: *Calorem* ex TELESII ſententia adeo in caelo propriam atque fixam ſibi conſtituiſſe ſedem, vt in ſecuro heic conlocatus, ab omnibus *frigoris*, contrarii principii, inſultibus liber exſiſtat atque immunis. Pari itidem ratione et *frigus*, naturam oppoſitam, locum in terra, puriſſima illa, et infra maris abyſſos depreſſa, ſuum occupare tradit, quo caeleſtis ille calor penetrare prorſus non poſſit. Qualis autem *terra* ſit diſtincte atque curate eloqui intermiſit, ſufficere ratus, vt *quatuor adfectionibus* primariis, *frigiditate*, *opacitate*, *denſitate* ac *quiete* inſtructam adfirmaret. Suppleuit interim doctrinam hancce VERVLAMIVS, et, quid hoc de argumento ſecundum principia ſemel adoptata TELESIVS dicere debuiſſet, fuſiori ſtilo ediſſeruit. h)

h) In illa quam ſaepius iam excitauimus *de Parmenidis ac Teleſii principiis commentatione* Opp. p. 666. ſep, Malumus autem haec ipſa apud VERVLAMIVM a curioſis legi, quam eadem huc operoſe tranſcribendo otium atque operam perdere.

VI

Perpetuum principiorum bellum, ex quorum continuo conflictu ortum trahunt corpora, quae terra fouet, vniuerſa.

Quae autem in intimis regni ſui partibus profundiſſima ita tranquillitate perpetuo fruuntur principia, in extimis continua

bella gerunt miſtosque cient ſine fine tumultus.

Haud

Haud ſecus atque in humanis plerumque euenit imperiis, vt fines prouinciarum moleſtis quandoque infeſtentur turbenturque hoſtilium vicinorum incurſionibus; regnorum autem meditullia pax optata beet. Oriuntur autem ex iſto *conflictu*, nullis induciis, nullisue pactis, vmquam finiendo tollendoque, et in illa, quae caeli extima terraeque intima intereſt, intercapedine, tamquam theatro belli iugiter continuando, *corpora* quae *tellus* habet ac alit vniuerſa; quae magis minusue ſiue *calida* ſiue *frigida* gignuntur atque diſpoſitionem adipiſcuntur, pro vti iam de *imbelliori principio* triumphos egerit validius. Huius rei varios modos ſubtiliter per diſtinctas claſſes diſtributos recenſet TELESIVS, quos tamen, quum & apud VERVLAMIVM atque MORHOFIVM compendifacti legi poſſint, ſi vel ipſa non praeſto fuerint auctoris opera, transſcribere nolumus; ſed reliqua potius, quae adhuc ſuperſunt, ſtrictim perſequimur.

VII

De caelo, et, quae illud continet, corporibus, quid ſtatuerit?

De *caelo* autem et *corporibus caeleſtibus* ita philoſophatur *noſter*, vt ipſa ex ſummo *calore materiaque* ſubtiliſſima fabricata adſerat; et *igneae* illa *naturae* eſſe contra ARISTOTELEM defendat i). *Motum* porro ipſi *ſtellisque* tribuit proprium, qui tamen ſubinde variet k), exploſis, quas *Stagiritae* phantaſia finxit l), *motricibus Intelligentiis*. Immo tantum non, licet ſubtimidus, pro aetatis ſcilicet, et loci, quo vixit, conſtitutione την ἀθεοτητα ARISTOTELI impingit, quod DEVM O. M. vni orbi includens, *mouendi* ipſi tantum *ſupremam ſphaeram* munus adſcribat impie m); a quo tamen, non ab aeterno, ſed ſuo in tempore *mundus* vniuerſus omnipotenter conditus ſit n). Idem *caelum* eſſe ſua natura *lucidum* adſerit, veluti et *ſtellas*, licet hae variis modis a ſe diſcrepent, vti *Galaxiae*, quam Aſtronomi nuncupant, exemplo clariſſime pateſcat o).

 i) TE-

i) TELESIVS *de rerum nat.* lib. II. cap. XV. fol. 615. et cap. XVIII. fol. 617. ſq.
k) *Idem* lib. IIII. c. V. f. 698.
l) ARISTOTELES *Metaphyſic.* lib. XII. cap. VI - VIII. vide et omnino eruditam IOANNIS KAHLERI, Profeſſoris nuper Rintelenſis eximii, diſſ. *de Intelligentiis* ibid. an. 1679. habitam §. V. p. 6.
m) TELESIVS lic. IIII. cap. XXV. p. 730.
n) *Idem* eodem cap. XXVIIII. p. 734.
o) *Idem* lib. cit. cap. VIIII. f. 703.

VIII

Quid de rerum ſublunarium plurimis? Adduntur reliqua philoſophiae ipſius momenta potiora.

Ad contemplationem porro *corporum terreſtrium* et ſublunarium, progreditur *philoſophus*, eorumdemque naturam ſibi ſumit indagandam; qua in re vero, vt, quod res eſt, dicamus, non admodum ordinate procedit. De illis, quae ad *minerale*, quod vocant, *regnum* ſpectant, corporibus nihil omnino adfert. De *vegetabilibus* pauca ſunt quae diſputat, et tantum docet p) *plantarum* corpori *animam* quamdam ineſſe, quam *Spiritum* ait ille, qui *animalibus* ineſt, paullo craſſiorem; et de earumdem conſtitutione, procreatione, augmentatione et interitu nonnulla contra *Peripateticos* differit q). Prolixior multo eſt in perſcrutanda *animalium* natura, quae in *perfectiora* et *imperfectiora* diſtinguit. *Imperfectiora*, verbi cauſſa, *inſecta*, ex terra a ſole immutata conſtitui atque produci adfirmat; *perfectiora* non item r). De perfectioribus autem tractatio admodum eſt perplexa, vt auctoris mentem difficulter fere poſſis adſequi. Non nulla interim in his argumentis ex *Peripateticorum* ſcholis ſeruat, plurima alia ex *ſuo ſenſu* et ingenio format atque immutat. Integro *libro quarto de anima* diſputat, quam a Deo in ſingulos homines, dum generantur, immiſſam et corporis vniuerſi formam, incorpoream item atque immortalem eſſe s) defendit. *Libro ſexto* variarum *corporis animalis partium* conſtitutionem, officia ac vſum deſcribit; vbi vero in plurimis

mis ab *Ariſtotelicae* Scholae ſcitis abhorret. *Septimo* porro libro *ſenſus externos* ordine contemplatur, quos omnes *tactus* eſſe, vno *auditu* excepto, t) ſtatuit; variaque ſimul aduerſus *Stagiritam* monet, multum etiam de *ſenſuum obiectis* ratiocinatur. *Octauo* denique libro de *anima rationali* ſermonem inſtituit, eiusdemque vires et facultates explicat; *animalia* quoque, praeter hominem, reliqua *ratiocinationis haud expertia* prorſus v) exiſtimat. *Moralis* tamdem *doctrinae* campo libro *vltimo* paulliſper ſe immittit, variaque circa argumentum de *animi poſſionibus* ſiue adfectibus in medium profert; *virtutum* pariter atque *vitiorum*, quorum neque finem neque numerum recte poſitum ab x) ARISTOTELE fuiſſe contendit, quaeue non *habitus* ſint, vt ipſi placet, ſed *facultates*, y) vberiorem deſcriptionem coronidis quaſi loco, addit.

p) TELESIVS libr. cit. *de rerum natura* libr. VI. cap. XXVII. f. 280.
q) *Idem* ibidem cap. XXVIII. - XXX. fol. 182. ſeq. conlato libro V. cap. I. fol. 737.
r) *Idem* libro VI. cap. XXIII. fol. 817.
s) *Idem* libro V. cap. VIII. fol. 736. comparato libro VI. cap. XXXVIII. fol. 832.
t) Vide eiusdem libri VI. cap. VIII. fol. 744.
v) Eodem libro capite XIIII. f. 892. quod et probe obſeruauit clariſſimus vir, GEORGIVS HENRICVS RIBOVIVS, in diſſ. hiſtorico-philoſophica *de anima brutorum*, optimae frugis Scriptione, quam adiunxit recentiſſimae editioni HIERONYMI RORARII: *quod animalia bruta melius ſaepe ratione vtantur homine* librorum abs ſe factae, cap. XXIII. §. CCXIII. pag. 741.
x) TELESIVS libro eodem cap. XXXV. fol. 903.
y) *Idem* ibidem cap. XXXIIII. f. 859.

VIIII

Philoſophiae Teleſianae modeſta Επικρισις; *tum laudes, tum vitia ipſius complexa.*

Vt vero vel tamdem etiam tum de *virtutibus*, tum *vitiis philoſophiae Teleſianae* noſtram ſententiam breuiter exprimamus: *Ingenii* certe excellentioris facultatem nemo facile

cile in illius conditore deſiderauerit, qua etiam inſtructum eſſe vtique oportebat hominem, *conſtitutam*, quod de ARCESILA olim dixit CICERO, *philoſophiam euerſurum*, atque *nouum* prorſus quoddam cogitationum *Syſtema* prolaturum. *Iudicii* porro inſignem eiusdem ἀγχινοιαν vel ipſi laudibus promeritis extollunt, quos ſaepius iam adpellauimus, duumviri praeſtantiſſimi, VERVLAMIVS atque MORHOFIVS, et qui praeter illos dedita opera TELESII *placita* ſub adcuratioris diſquiſitionis incudem reuocanda ſumſerunt; liberaliter ſatis profeſſi, huius mentis ſuae praeclarae indolis beneficio eumdem debere, quod tam ſagaciter *phyſicae Ariſtotelicae naeuos* detegere, et detectas acute vt plurimum atque feliciter conuellere potuerit; quamuis ſimul nulli inficientur, maius ipſum robur ac neruos in *deſtruendo Peripateticae Scholae ſcita* demonſtrauiſſe, quam in *adſtruendo* confirmandoque *propria principia* adhibuiſſe; quod idem de ipſo ARISTOTELE cenſuit IOSEPHVS SCALIGER z). Adiunxit his dotibus miſcuitque eximium plane *animi candorem* atque ſincerum veritatis ſtudium, quod ita quidem ante oculos propoſitum habuit, vt, vbicumque tum ſuas ſigillatim, tum humani ingenii in vniuerſum vires deficere deprehendiſſet, modeſte illud profiteri non omiſerit, neque pudori duxerit, ſui ipſius ignorantiam in primis, rariſſimo inter philoſophos exemplo, accuſare. Huius rei tum ſuperius iam praeclara argumenta protulimus in medium, tum vero VERVLAMIVS praecipue hoc nomine cariſſimum ſibi TELESIVM alicubi a) pronunciauit. Denique, quum iuuenili aetate, quod primo capite demonſtratum fuit, *mitiores litteras* mirifica induſtria excoluerit, non poterat non fieri, vt *dictionem luculentam* et citra fucum ad naturae leges adprime compoſitam in ſcriptis ſuis ſectatus, plurimum vbique laudis apud lautiora ingenia reportaret, et exemplum praeiret aliis ſuae aetatis hominibus, poſſe etiam, immo debere vel maxime meliorum iudicio philoſophum meditamentorum ſublimitatem cum *orationis cultioris* elegantiis coniungere b). Et hae quidem potiſſimae *Teleſianae philoſophiae virtutes* exiſtimari poſſunt. Iam vero et *vitia*, et *defectus*,

notari

notari debent omnino, vt ſalua conſtet tum fidei noſtrae, tum hiſtoriae ſcribendae legibus, auctoritas c). Ad *tria* autem iſta ſummatim commodeque referri poſſunt *momenta*. *Primum* enim, *principiorum*, quae explicandis rerum naturalium cauſis ſubſtituit *noſter*, ratio ita facta atque comparata equidem eſt, vt *neutiquam*, quod debuiſſent tamen, *ſufficere* curatiori examine inſtituto deprehendantur, ad omnes omnino, qui in natura occurrunt, effectus declarandos; quum dari reperiantur, qui ſiue *calori*, ſiue *frigori*, tamquam cauſſae principi adſcribi prorſus nequeant; veluti quidem quamplurium exemplorum inductione facta diſertiſſime oſtendit VERVLAMIVS; qui hac re adductus fuit, vt *de principiis imperitiſſime* omnium *philoſophatum eſſe* TELESIVM adſeruerit. *Secundum*, inſigni vituperio nimia quandoque ipſi ἡ της ὑποθεσεως δȣλεια absque iniuria vertitur, qua occupatus, citra omnem interdum experientiae veritatem, vitio inter philoſophos non adeo infrequenti, multa adfirmauiſſe atque defendiſſe obſeruatur, non quod ipſe pro talibus habenda agnoſceret re vera, ſed tantum vt *principiorum* ſemel cogitato *ſuſceptorum auctoritati* ac pretio quodammodo conſuleret. Ad cenſum ſimilem illud verbi cauſſa pertinet, quando *qualitates* illas ſuas, quas vocat, *connaturales*, quarum *quatuor principiorum duorum incorporeorum vtrique* adhuc addit: *calori* nempe, *calidum*, *lucidum*, *mobile* et *rarum*; *frigori* autem *frigidum*, *immobile*, *opacum* et *denſum*; quando, inquam, has quidem *qualitates connaturales* adeo a ſe inuicem *ſeparatas* atque ſecretas ſtatuit, vt numquam *duas contrarii generis in vno* eodemque *corpore* combinatas inueniri adfirmet; quum tamen haec experientiae omnino aduerſentur, qua docemur, dari vtique in natura rerum *corpora* quaedam *lucida*, et tamen ſimul *denſa*; quaedam iterum *frigida*, et tamen ſimul *rara*. κ. τ. λ. *Tertium* denique, quod in TELESII *philoſophia* notandum carbone ducunt cordatiores, *vitium* eſt, quod *materiam*, quam tantum non in exſiſtendo *neceſſariam*, atque adeo *aeternam* credidiſſe videtur, *propria* atque interna *facultate* inſtructam prodiderit *Principiis duobus incorporeis reſiſtendi*, contrariosque effe-

ctus, ſua ipſius virtute, producendi. Non audet tamen aperte peſtilentiſſimi huius erroris reum incuſare VERVLAMIVS d), tum, quod ipſe *titubanter admodum hoc de argumento diſſeruerit*, tum vero, quod alicubi e) *productionem vniuerſi* a DEO conditore *in tempore factam*, quae quidem doctrina cum ſuperiori conſiſtere non poſſit, conceptis verbis ſatisque prolixe propugnauerit. Ceterum neque illud diffitebimur facile, ſolidiora forſitan abs *noſtri* ingenio exſpectari potuiſſe, ſi quidem inſequenti demum aetate inter mortales verſatus fuiſſet TELESIVS, in qua maior longe atque praeſtantior lux veluti doctrinae vniuerſae, ita *naturali* in primis *diſciplinae*, adfulſit.

a) Concinit fere his dubiae admodum famae virtutisque philoſophus, IORDANVS BRVNVS, *Nolanus*, qui in rariſſimo *de Monade*, *numero et figura* opuſculo p. 70. luculentum ſimilis generis exemplum protulit, dum ita ſcribit: *Noſtris temporibus auſus eſt* TELESIVS, *Conſentinus*, *ignem humidae naturae, adſerere, quod minime infeliciter eſt proſequutus; non, vt par eſt, pro rei veritate ſed vt decebat eum, qui ex ſuismet* ARISTOTELIS *phyſicam principiis voluit redarguere.* Debemus nos loci huius notitiam beneuolo clariſſ. HEVMANNI, qui quondam in *Philoſophorum Actis* doctiſſime de BRVNO commentatus eſt, indicio. Ceterum SCALIGERI iudicium de ARISTOTELE lege apud RAPINVM, *Reflexions ſur la phyſique*, cap. IIII. Opp. tom. II. p. m. 411.

a) VERVLAMIVS *Opp.* fol. 673. vbi, *alicui fortaſſe*, ſcribit, *vix operae pretium videri poſſit, nos in philoſophia* TELESII *arguenda tam diligenter verſari; philoſophia ſcilicet non admodum celebri aut recepta. Verum nos huiusmodi faſtidia nil moramur. De* TELESIO *autem bene ſentimus atque eum vt amantem veritatis, et ſcientiis vtilem, et nonnullorum placitorum emendatorem, et nouorum hominum primum agnoſcimus.*

b) Adſcribere huc libet quae ſummus, vti mox docebimus ſequentibus articulis, *Teleſiani* nominis admirator, THOMAS CAMPANELLA, de *recta ſtudiorum ratione* cap. IIII. art. I. in laudem dictionis *philoſophi noſtri* inter alia ſequentem in modum pronunciauit: TELESIVS, inquit, *in ſcribendo ſtilum vere philoſophicum ſolus ſeruat, iuxta rerum naturam ſermones ſignificanter condens, facitque hominem potius ſapientem quam loquacem. Quae ſcire deſperat, ingenue confitetur, aliorumque opiniones iuſte examinat, fideliterque proponit,* rel. Hanc ipſam ob rem eodem libro cap. III. art. V. TELESII ſedulam lectionem inter recentiores philoſophiae ſtudioſis diligentiſſime commendat, verbis: *In moralibus* SENECA *omnibus praeualet.* ARISTOTELES *in particulis bonus eſt.* TELESIVS *magis ad totum accedit.* Et paulo poſt: *Ordo philoſophorum legendorum primo ponit eorum principem* ARISTOTELEM, *cum graecis, et ara-*

arabibus, et latinis expoſitoribus. *Secundo* TELESIVM *et* PATRITIVM, *eius Antagoniſtas.* Ex *oppoſitione ſcilicet veritas melius intelligitur.*

c) Recte atque ex vero idem CAMPANELLA eiusdem libri cap. IIII. art. III. *qui vitas,* inquit, *philoſophorum ac clarorum virorum tacitis eorum vitiis turpibusque geſtis deſcribunt, ii Poetae potius dicendi ſunt, quoniam imitanda ſcribunt, non autem narranda narrant.*

d) VERVLAMIVS, *Opp.* p. 670. TELESIVS *de Syſtemate mundi diſſerit non male; de principiis imperitiſſime. Quin et in ipſo quoque Syſtemate ingens eſt lapſus, quod tale conſtituat Syſtema, quod NB.* videri poſſit aeternum; *neque ſupponat chaos, et mutationes Schematiſmi magni. Siue enim ea eſt* TELESII PHILOSOPHIA, *ſiue Peripateticorum, ſiue quae alia, quae in eum modum Syſtema inſtruat, libret, muniat, vt non videatur fluxiſſe a Chao, ea leuior videtur philoſophia atque omnino ex anguſtiis pectoris humani.* rel.

e) TELESIVS *de natura rerum* lib. IIII. cap. XXVIIII. f. 734. ſeq.

X

Eiusdem aduerſarii, qui quidem publicis ſcriptis illam impugnare adgreſſi ſunt; IACOBVS ANTONIVS MARTA: ANDREAS CHIOCCVS: IANVS CAECILIVS FREY, *et ineditus denique adhuc, idemque* ψευδώνυμος *Scriptor,* SOLINVS ANTONIVS MANTVANVS.

Aeui illius, quo vixit TELESIVS, rationes, et loci, quem incoluit, conditionem, vti alia iam taceamus, prorſus ignorare illum oporteret, qui non mente ſua facile poſſet concipere, aegerrime tuliſſe quam plurimos inſigne adeo, quod in *Italia* primus ille omnium abs ARISTOTELE facere ſuſtinuerat, diuortium. Meminimus ſuperius f) iam PAPADOPOLI, neque ea temere quidem inficianda, fide nos expoſuiſſe, mirifice exagitatam fuiſſe monachorum iurgiis nouellam iſtam *philoſophiam Teleſianam;* adeo quidem, vt illius auctor iam fere decrepitus melancholicum inde adfectum ſibi conciuerit cuius et tamdem violentiae ſuccubuiſſet. Credibile omnino

eſt *ore* tantum ac *voce* ſuſceptas iſtas altercationes, atque, vti fieri conſueuit, clandeſtinis, iisque inuidioſiſſimis, interdum ſuſurris in vulgus propagatos fuiſſe. Interim tamen exſtiterunt alii, praeter iſtos Cucullatos deraſo vertice fratres, qui *ſcriptis* in publicam lucem expoſitis *Philoſophum noſtrum* adgrederentur, atque ARISTOTELIS ſui auctoritatem, quam apud pene multos eximie iam imminutam deprehenderant, pro viribus reſtitutum irent ac ſartam tectamque conſeruari cuperent. Potiorum, ſi non omnium, memoriam ſcriptorum induſtria ad poſteros transmiſit, quam heic repetere inſtituti rationes omnino imperant. Primus fortaſſe exſtitit IACOBVS ANTONIVS MARTA g), Neapolitanus, legum ciuilium ac canonicarum in Gymnaſio quondam Patauino interpres publicus, inter ſuos non plane nullius nominis, qui vndecim annorum opere h) improbo labore confecto, et *Pugnaculum* ARISTOTELIS inſcripto, *Stagiritae* partes contra TELESIVM animoſe defendendas in ſe ſuſcepit. Sequutus eſt hunc ANDREAS CHIOCCVS i), medicus atque Philoſophus Veronenſis clariſſimus, et TELESII *de venis, neruis atque arteriis* ſententiam in libro: *Quod animal vniuerſum ab vnica animae ſubſtantia gubernetur*, propoſitam publico quodam ſcripto impugnauit. Nobis equidem haud licuit, ſiue MARTAE, ſiue CHIOCCI, commentaria *Anti-Teleſiana* inſpicere, tamquam in terris noſtris minus obuia; interim tamen vtriusque abundantiſſimam fidem facit THOMAS CAMPANELLA, qui et vtrumque, quod ſequenti mox articulo magis expoſite enarrabimus, ſingulari ſcripto refellit. Memorant HENNINGVS VITTENIVS et ANTONIVS TEISSIERIVS, ſed pro more vterque ſuo parum de auctoritate dictis ſuis, luculentis in medium prolatis teſtimoniis, concilianda curioſus, Syngramma aliquod IANI CAECILII FREY, medici Pariſienſis ſuperiori ſaeculo non obſcuri plane nominis, *Cribri philoſophorum* indice inſcriptum, et TELESIO maxime oppoſitum. Num ſiggillatim prodierit liber iſte, num vero etiam *Operibus* viri huius *latinis* iunctim aliquando editis k) inſertus legatur, an denique prorſus ineditorum numero cenſendus ſit, nos quidem in praeſenti diffinire haud poſſumus;

mus; adeoque aliis ad indagandum relinquimus. Induſtrius TOPPII continuator, NICODEMVS, l) excitat SOLINI cuiusdam ANTONII MANTVANI, Philoſophi ac Medici, ſcriptoris citra omne dubium ψευδωνυμȣ m) *apologiam in* TELESIVM, illamque olim in inſtructiſſima ſummi Polyhiſtoris, ANTONII MAGLIABECHII, bibliotheca MStam adſeruatam fuiſſe adſerit, quem ipſum dubitauiſſe tradit, num publicis vmquam typis exſcripta ſit. Nolumus denique ſuperius n) iam propoſita de CLAVDIO SORELLO, Gallo doctiſſimo, iterum hic commemorare; illum ſcilicet prolixiori alicubi cenſura *philoſophiam Teleſianam* excepiſſe. Neque vero is etiam proprie ad *profeſſorum* TELESII *impugnatorum* claſſem pertinet.

f) Vide ſupra cap. I. art. XI. not. z)

g) De IACOBO hoc ANTONIO MARTA inter Italos plures vno cum laude dixerunt. Princeps fere ipſique συγχρονος, ANGELVS PORTINARI in libro: *Felicità di Padoua* inſcripto, et *Patauii* anno MDCXXIII. fol. impreſſo, lib. II. cap. IIII. fol. 231. luculentum ipſius elogium exhibet. Congeſſit plura eruditorum de illo honorifica ſatis teſtimonia NICOLAVS TOPPIVS in *Bibliotheca Neapolitana*, fol. 111. *Scriptorumque* ipſius Catalogum addidit, Iuris potiſſimum argumenta complexorum, eiusdem Continuator NICODEMVS in *Addizioni* fol. 85. ſeq. qui tamen *Pugnaculi*, quod ſupra diximus, ne verbulo quidem meminit. Iuuat, vt viri nomen quodammodo inter noſtrates innoteſcat, huc transferre, quae de ipſo in *Hiſtoria Gymnaſii Patauini*, inter doctores Lycei huius Iuris Conſultos, tomo I. lib. III. Sect. I. cap XXVIIII. p. 268. ſeq. memoriae prodidit PAPADOPOLVS. *Patauii*, inquit, MARTA *Ius Canonicum ab anno MDCXI. profeſſus, anno MDCXVIII. ad alteram Iuris ciuilis exedram tranſiit, mortuus Patauii ſiue Venetiis an. MDCXXIII. Vir in praxi iuris doctiſſimus, peritiſſimus forenſium iudiciorum, et ſcriptor in iure eruditionis immenſae; ſed et audax, et ſententiarum ſuarum vsque ad inſaniam tenax, lutulentae locutionis ac ſtili plane ſubruſtici ac mendoſi. Doctorem ſe ſemper eo fidentius inſcripſit, quod ſua ſe auctoritate ipſe doctorem renunciasſet, atque alios ad inſignia doctoris deduxerit, quibus ipſe* (per aliquod tempus) *carebat.*

h) Tantum temporis MARTAE elucubrando illi *Pugnaculo* inſumtum fuiſſe luculentam fidem facit IANVS NICIVS ERYTHRAEVS in *Pinacotheca* lib. I. p. 41. editionis Lipſienſis, vbi CAMPANELLAE *imaginem* deſcribit, quem auctorem poſtea ſequuti ſunt tantum non omnes qui CAMPANELLAE *vitam* commentari ſuſceperunt. Confer et clariſſimi merito ſuo viri, PETRI FRIDERICI ARPII, *Ferias aeſtiuales* lib. II. §. XL. Ceterum latine

tine

tine ſatis librum hunc auctorem *Pugnaculi* verbo inſcripſiſſe optime monuit HEVMANNVS, *Act. Philoſ.* tom. I. part. III. art. VII. p. 550.

i) Clarum et inter noſtros habetur CHIOCCI nomen ob librum in primis de *Collegii Veronenſis Medicis ac Philoſophis* elaboratiſſimum, et ex quo plurimus in hiſtoriae eruditorum Italiae ſtudioſos fructus redundat, editum primum *Veronae* anno MDCXXIII. 4. quem inſequenti vita auctor functus eſt, atque recuſum PETRI BVRMANNI opera *Theſauri Italiae* tomo VIIII. Parte VIII. CHIOCCI *elogium* praeter alios plures ſcripſere GHILINI in *Teatro* tom. II. p. 16. et PAPADOPOLVS inter Patauini Lycei alumnos tomo II. lib. II. cap. XLII. fol. 280.

k) Fruſtra hactenus, ſtudioſe licet, inquiſita nobis fuerunt IANI CAECILII FREY opera latina, quae *Pariſiis* anno MDCXLVI. 8. iunctim vulgata fuiſſe ex IACOBI *le* LONG *Bibl. Hiſt. de France* fol. 29. tantum nouimus.

l) NICODEMVS in *Addizzioni copioſe al Toppi* fol 85.

m) Omiſit illum memorare in *Theatro Anonymorum* et *Pſeudonymorum* VINCENTIVS PLACCIVS.

n) Reſpice, Lector, ſi placet *capitis huius articulum I.*

XI

Hyperaſpiſtae; THOMAS CAMPANELLA; FRANCISCVS PATRITIVS; ANTONIVS PERSIVS; SERTORIVS QVATTROMANI; *quin omnes Academiae Conſentinae, ſiue Teleſianae, ſocii.*

Si quidem communi iam olim ore celebratae ſententiae ſua conſtat veritas, qua nihil fere vmquam, (licet etiam quandoque abſurdum,) a quopiam philoſophorum excogitatum traditumue dixerunt, quod fautoribus atque defenſoribus omnino caruiſſet; veluti profecto fieri conſueuiſſe conſtat per experientiam; mirum certe haud fuerit, neque TELESIO prorſus defuiſſe *placitorum* ſuorum *propugnatores* ſtrenuos atque vindices. Inter hos autem principem omnium locum tempore licet aliquanto poſterior, praeoccupauit THOMAS CAMPANELLA, o) vir ſui nominis. p) Ore etenim non minus atque calamo *philoſophi Conſentini* partes acerrime is defendit. Vtrumque vero vti faceret mirabili quodam caſu, eodemque memoratu ad modum digno, contigit. q) Ille ſci-

ſcilicet, quo in philoſophia magiſtro tum vtebatur iuuenis CAMPANELLA, a monachis *Conſentinis* Franciſci, diui apud ſuos hominis, inſtituta amplexis *Conſentiam* inuitatus fuerat, vt intereſſet eruditae cuidam diſceptationi publice ab ipſis inſtituendae. Subitanea autem quadam valetudine citra omnem ſpem impeditus, quum illuc venire non poſſet, CAMPANELLAE is quidem prouinciam hanc ſuam detulit, quem quippe praeſtare reliquos doctrina atque ingenio forte cognouerat. Neque meliorem facile quempiam deligi potuiſſe euentus docuit. Magiſtri etenim ſui partes in ipſo philoſophicae diſceptationis conflictu adeo feliciter atque perfecte CAMPANELLA impleuit, et, quum forte *Teleſiana* quaedam *ſcita* tum diſputarentur, adeo ſtrenue TELESII ſententiam, quem tamen, quod ipſe adfirmat, ne de nomine quidem cognitum habuerat antea, tuitus eſt, vt ſummos inde omnium, qui adfuerant, auditorum plauſus referret, vno quaſi ore profeſſorum: mirabili aliqua μετεμψυχώσει TELESII *ingenium in* CAMPANELLAE *corpus tranſiiſſe.* Factum eſt inde, vt domum reuerſus, fatis iam functo TELESIO, quem viuentem adloqui ipſi haud licuerat, *leſſum Elegeiacum* obſeruantiae ergo, publicis valuis adfigeret non tantum; ſed et exquiſito deſiderio tactus penitius cognoſcendi quantus et qualis ille vir fuiſſet, ſingulos *eiusdem de philoſophia libros* amicorum beneficio acceptos auidiſſime arriperet, breuique admodum temporis ſpatio interiecto legendo quaſi totos deuoraret. Ipſe fatetur CAMPANELLA, r) mirifice hac re delectatum ſe fuiſſe, tum *ob philoſophandi libertatem*, tum, *quia ex rerum natura, non vero ex hominum dictis pendere* TELESIVM deprehendiſſet, vt adeo non potuerit non vtrisque, quod aiunt, pedibus in illius ire ſententias, philoſophandique rationem cupidiſſime amplecti. Hinc, quem incognitum ſibi prorſus olim caſu quodam *ore* tam gnauiter *propugnauiſſet*, iam intime perſpectum deliberato conſilio *defendere* etiam *calamo* eſt adgreſſus, ſuaſuque ac hortatu amici cuiusdam ſui, IOANNIS FRANCISCI BRANCHAE, Medici Caſtrouillarenſis, *contra* IACOBI ANTONII MARTAE, quod ſuperiori articulo adpellauimus, *pugnaculum Ariſtotelis*, TELESIO oppoſitum,

ſitum, *octo Diſſertationes* intra menſes vndecim, etſi adhuc admodum iuuenis, duos nimirum ſupra viginti annos ad ſummum natus, conſcripſit, hoc indice inſtructas: F. THOMAE CAMPANELLAE, *Calabri de Stylo, ordinis Praedicatorum, Philoſophia ſenſibus demonſtrata, et in octo diſputationes diſtincta: aduerſus eos, qui proprio arbitratu, non autem ſenſata duce natura philoſophati ſunt. Vbi errores* ARISTOTELIS *et aſſeclarum ex propriis dictis et naturae decretis conuincuntur, et ſingulae imaginationes pro ea a Peripateticis fictae prorſus reiiciuntur, cum vera defenſione* BERNARDINI TELESII, *Conſentini, Philoſophorum maximi: Antiquorum ſententiis, quae heic dilucidantur et defenduntur, praecipue Platonicorum, confirmata: ac dum pro* ARISTOTELE *pugnat* IACOBVS ANTONIVS MARTA, *contra ſe ipſum et illum pugnare oſtenditur. Ad illuſtriſſimum D. Marium de Tufo. Neapoli apud Horatium Saluianum, MDXCI. in 4.*

Biennio poſt ANDREAE etiam CHIOCCO, alteri, quem diximus, TELESII *aduerſario*, LAELIO potiſſimum VRSINO ſuaſore, reſpondit, opuſculumque in hoc argumentum conſcriptum ANTONIO PERSIO *Romam* transmiſit typis vulgandum. s) Mirum cuipiam videri poſſet, quum auctoritatis humanae omnis infenſiſſimum ſe hoſtem conſtanter declarauerit CAMPANELLA, nullique prorſus magiſtro addictum voluerit, adeo tamen ſe *Teleſianum* ipſum oſtendiſſe, vt plurimis librorum, quos edidit inſequenti tempeſtate, titulis doctoris ſui formulam *iuxta propria principia*, non ſine αὐθαδείας nota, t) inſcriberet. Secundus inter TELESII *fautores praecipuos* locus, non minori CAMPANELLA fama, philoſopho debetur FRANCISCO PATRITIO, v) qui et ipſi fuit aetate ſuppar. Relatum etenim x) accepimus, illum lectis ſummo ſtudio TELESII ſcriptis ita ipſius philoſophandi rationibus delectatum fuiſſe, vt veteribus philoſophis omnino anteponendum profiteretur; quo, ſummi ingenii hominis, iudicio nihil fieri poterat magis honorificum. Atque hoc quidem tanto magis, quanto minus caeco quodam impetu iſtud prolatum fuit; quin immo ex altera etiam parte non reticuit PATRITIVS, quae ſibi in TELESII principi-

is

is dubia, obſcura, impedita, immo falſa quoque, exiſtimarentur, atque libere eadem cum TELESIO communicauit, adeo bene ab ipſo accepta, vt haud pauca ad PATRITII ſententiam, tamquam veritati magis vicinam magisque commodam, ſiue tolleret ſiue emendaret. Ipſe etiam PATRITIVS, quum haud multis poſt TELESII fata annis *Nouam*, quam inſcripſit, *de vniuerſis philoſophiam* in vulgus emitteret y), *principia Teleſiana* in ſuum Syſtema non illibenter adoptauit, ita tamen, vt *tria* adhuc iisdem alia ex ſuo ingenio adderet; *lucem* nempe, *ſpatium* atque *fluorem*; quamuis hac ipſa re magis quam ipſe TELESIVS dogmata ſua intricauiſſe, et *nebulas* quasdam *Platonicas* inaniter captauiſſe MORHOFIO z) cenſeatur. Eminuit porro inter noſtri *Hyperaspiſtas*, *Academiaeque Conſentinae ſocios*, SERTORIVS QVATTROMANI, a) vir ingenii doctrinaeque et plurium ſcriptorum laude inter ſuos non incelebris. Ille etenim *Italica lingua compendium* aliquod *philoſophiae Teleſianae*, adſcita MONTANI perſona, concinnauit, hoc indice praeſcriptum: *La Filoſofia di B. Teleſio, riſtretta in breuità, e ſcritta in lingua Toſcana dal* Montano, *Accademico Conſentino. In Napoli, appreſſo Giuſeppe Cacchi* an. 1589. 8. Dubitauit equidem TOPPII commentator, NICODEMVS, b) num ad QVATTROMANVM autorem liber iſte pertineat; ſed vindicauit ipſi pluribus argumentis tamquam conditori hunc foetum, qui recentiſſime quaedam QVATTROMANI *Opuſcula Neapoli* anno MDCCXIIII. forma octopertita iunctim vulgauit, auctorisque *vitam* eruditiſſime ſcriptam praemiſit, MATTHAEVS AEGYPTIVS c), vir magni hodie ex omnigenae doctrinae facultate nominis, vanamque fuiſſe NICODEMI dubitationem iſtam oſtendit. d) ANTONIVM PERSIVM ſimplici heic nomine adpellauiſſe ſuffecerit, quod ſupra iam e) de eius in TELESIVM ſtudio atque ſingulari amore quod ſatis eſt nos expoſuiſſe meminerimus. Iſtud tantum hoc loco addimus, ſingula iſta octo *ſcripta* TELESII *minora*, quae vno *Syntagmate* complexum PERSIVM edidiſſe tunc traditum nobis eſt, ſingulis totidem TELESII *patronis* ab ipſo dicata atque inſcripta fuiſſe, quorum *nomina* illuſtria partem, partem mino-

noris hodie celebritatis, vt ordine huc referantur, noſtra induſtria non indignum videtur. Fuerunt autem fere ſequentes: IOANNES IACOBVS TONIALVS; f) ALOYSIVS CORNELIVS; g) FRANCISCVS PATRITIVS; IOANNES VINCENTIVS PINELLVS; h) IOANNES MICHAELIVS; BENEDICTVS GEORGIVS; FEDERICVS PENDASIVS; et HIERONYMVS denique i) MERCVRIALIS. Reliquos *Academiae Teleſianae ſodales*, quos propugnandi philoſophum ardor in communitatem coniunxerat, ſigillatim hoc in cenſu referre nihil adtinet.

o) Iniuriam certe faceremus lectoribus noſtris ſi de CAMPANELLAE perſona vel duobus verbis diſſerere inſtitueremus, vel centies dicta aliis. Nam profecto ille

Cui non dictus Hylas?

poſtquam vel ipſe, *ἰδιοβιογράφος*, multa de ſe ipſe ſcriptisque et fatis ſuis tum ſollerter tum candide expoſuit in *ſyntagmate de libris propriis et recta ſtudendi ratione* ad amicum ſibi GABRIELEM NAVDAEVM; *Pariſiis* primum anno MDCXXXXII. 8. edito, et recenſito in *Actis philoſophorum*, parte III. artic. VII. p. 545. ſeq. recuſo etiam inter *ſcriptores de ſtudiis inſtituendis* LVDOVICI ELZEVIRII *Amſtel.* MDCXLV. 12. p. 368 - 413. et ſimilis argumenti *Crenianos Lugd. Bat.* an. MDCXCVI. 4. Princeps vero omnium eſt qui dignus exſiſtat vt ad legendum commendetur excellentiſſimi viri, ERNESTI SALOMONIS CYPRIANI, *de Vita Campanellae* Commentarius, *Amſtelodami* an. MDCCV. et MDCCXXII. 12. exſcriptus, quae poſterior editio praeter alias *adpendices* tertio loco p. 90. ſeq. exhibet etiam *vitam Campanellae* qualem tomo II. *Scriptorum ordinis Praedicatorum* fol. 505 - 521 deſcripſit IACOBVS ECHARDVS; licet placuerit celeberrimo CYPRIANO ea omittere quae fol. 508. contra hunc ſuum commentarium monuerat iſte Dominicanus; quod tamen factum aliqui lectorum fortaſſe nollent. Ceterum comparari heic etiam fructuoſe poſſunt IACOBI THOMASII, hiſtoriae philoſophorum omnium longe intelligentiſſimi viri, *notata de Campanella*, ex eiusdem *ἀυτογράφῳ* poſthumo exhibita a IOACHIMO FRIDERICO FELLERO, in *Monumentis ineditis* trimeſtr. XII. num. LVIII. p. 636. vbi *conatum* ait CAMPANELLAM *inchoatam a* B. TELESIO *philoſophiam nouam, ſeu nouantiquam, continuare, aut potius obſcurae illi lumen inferre.* (Ita enim, non *obſcure*, aduerbialiter, ſcriptum a THOMASIO cenſemus, aut ſcribi etiam deberi.) Prolixum porro hac de re TOBIAE ADAMI locum ex eiusdem *praefatione in* CAMPANELLAE *prodromum philoſophiae*, B. 2. ſeq. citat; obſeruatque, ipſum tamen CAMPANELLAM *de ſenſu rerum et Magia* p. 44. teſtari, ſe contra *vel ipſum* TELESIVM *aliqua ſcripſiſſe;* CHRISTOPHORI denique BESOLDI locum ex *Politic.* l. 6. c. 8. adlegat, quo ADAMVM *Peripateticorum haereſin maſcule armis* CAMPA-

PANELLAE, TELESII *ex parte imitatoris, aggreſſum*, optime pronunciauit.

p) *Campanella* enim Italis vocatur *tintinnabulum*. Et abunde profecto ipſius nomen vario admodum per eruditum orbem της τε ἐυφημιας της τε δυσφημιας ſono tinniit. Vid. clar. HEVMANNI *viam ad Hiſtor. litter.* cap. VII. §. 19.
(u) Reſpexit huc IOANNES BENEDICTVS PERAZZO, Venetus, qui ad CAMPANELLAE effigiem in LAVRENTII CRASSI *elogiis* tom. II. p. 246. hoc Epigramma ſubſcripſit:

Exprimit elatae ſat NOMEN *mentis* ABYSSVM;
Exprimit AGNOMEN *famae et vbique* SONVM;

nominis THOMAE etymo ex *Ebraeorum* lingua, qua תהום (*Thehom*) *abyſſum* ſignat, CAMPANELLAE autem ex *Italico* idiomate, repetito. Meminimus probe et ipſum alicubi CAMPANELLAM hunc *cognomenti* ſui *ſenſum* reddidiſſe; licet locus, quo iſtud fecit iam non ſuccurrat.

q) Narrat hanc rem ERYTHRAEVS, *Pinacotheca* I. imag. XXI. p. 41. edit. Lipſ. et, qui illum plerumque fere μεταφραζει, LAVRENT. CRASSVS in *Elogi d'huomini letterati* loc. cit. p. 244. Obſcurius tantum innuit CORNELIVS TOLLIVS, *de infelicitate litteratorum* in *Analectis de calamitate litteratorum* Lipſ. 1707. 12. editis ab inluſtri viro, fautore noſtro quondam praecipuo, IOANNE BVRCARDO MENCKENIO, p. 445.

r) Iuuat ipſum hac de re legere CAMPANELLAM, in hanc fere ſententiam *Commentario de libris propriis* Cap. I. art. I. ſcribentem: *Cumque doctores meis argumentis ſatisfacere non poſſent, quae contra ipſorum lectiones promebam; ſtatui ipſe libros omnes percurrere* PLATONIS, PLINII, GALENI, *Stoicorum et Democriticorum, praecipue vero* Teleſianos, *ac cum mundi codice primario conferre, vt ex originali et autographo quid veri exemplaria habent, et quid falſi, agnoſcerem. Etenim cum publice diſputarem Conſentiae, nedum cum fratribus meis priuatim, inueniebam parum quietis in reſponſis illorum. Sed* TELESIVS *me delectauit, tum ob libertatem philoſophandi, tum, quia ex rerum natura, non ex dictis hominum penderet. Proptereaque, cum mortuo* TELESIO, *quem viuentem adloqui non licuit, Elegeiam adfixiſſem, Altum-montem oppidum adiui, vbi Platonicorum libros ab optimis viris ſubminiſtratos perlegi, atque ſuaſu* IOANNIS FRANCISCI BRANCHAE, *Medici Caſtrouillarenſis, ſcribere coepi contra* IACOBVM ANTONIVM MARTAM, *Neapolitanum, qui librum ediderat contra* TELESIVM, *Pugnaculum Ariſtotelis attitulatum; ibi octo diſputationes confeci, quarum I. de principiis rerum naturalium; II. de formatione foetus in vtero; III. de Caelo et mundo; IIII. de elementis; V. de vſu oblique lati ſolis; VI. de miſtione elementorum; VII. de qualitalibus eorumdem; VIII. denique de mouentibus ac mobilibus,* BRANCHA *ac* PLINIO *Medicis, ſubminiſtrantibus libros animumque. Heic totam philoſophiam Peripateticam in examen adduxi, Philoſophorum priſcorum ac Medicorum decretis, ſimulque naturae placitis et ſenſu confutaui Pugnaculum iſtius auctoris, ſic, vt quem defendere profitebatur, hunc potius offendere palam oſtenderim. Hic liber polemicus impreſſus eſt Neapoli in officina Horatii Saluiani anno Chriſti*

MDLXXXX. Hactenus CAMPANELLA. Confer et CYPRIANVM in *eius vita* p. 112. et 130. Praeter meritum itaque dubitauit MORHOFIVS *Polyhiſt. philoſoph.* lib. II. part. I. cap. XIII. p. 231. num exſcripti fuerint publicis typis iſti CAMPANELLAE aduerſus MARTAM commentarii; quos ab elegantia in primis commendauit ANTONIVS BALDASSARI in *Compendioſo riſtretto delle vite di Perſonnaggi illuſtri*, venetiis an. MDCCXXIIII. 8. edit. p. 379.

s) Ita iterum ipſe CAMPANELLA loc. cit. *Pataui coepi* EMPEDOCLIS *philoſophiam inſtaurare, et ſcripſi nouam Phyſiologiam iuxta propria principia ad* LAELIVM VRSINVM. *Item eiusdem* VRSINI *iuſſu Apologeticum de venarum, neruorum et arteriarum origine, et de pulſatione, pro* TELESII *commentario quod animal vniuerſum contra* ANDREAM CHIOCCVM, *Medicum Veronenſem, qui aduerſus* TELESIVM *ſcripſerat; miſique hoc Opuſculum ad* ANTONIVM PERSIVM, *Teleſianum, apud* LAELIVM VRSINVM *Romae commorantem.* Horum vero ſcriptorum, maleuolorum fortaſſis iniuria, flebilem iacturam Romae fecit, teſte CYPRIANO, in vita CAMPANELLAE p. 13. Ceterum minus recte RAPINVS in *Reflexions ſur la Phyſique*, cap. VIII. p. m. 422. TELESIVM fecit *adſeclam* CAMPANELLAE, quum contrarium ex hactenus dictis pateat omnino; verbis: *Le traité de Phyſique de* CAMPANELLA (de ſenſu rerum et magia lib. IV.) *ou il donne du ſentiment à tout ce qu'il y a de plus inſenſible dans la nature, dont il prouue que toutes les parties ſont animées, eſt vne viſion, à quoi il eſtoit ſuiet.* TELESIVS *eſt de ſon opinion dans ſon traité contre* GALIEN. (Librum: *Quod animal vniuerſum* innuit.) Pergit: *Il eſt trop hardy dans ſes deciſions; il traite ſouuent* ARISTOTE *auec bien de la hauteur, mais ſans raiſon.*

t) Vide eumdem CYPRIANVM l. c. p. 14.

v) FRANCISCVM hunc PATRITIVM *Italorum fere omnium multo doctiſſimi* elogio ornauit ERYTHRAEVS *Pinacothec.* I. p. 203. licet ἀποστασια, quam is inter primos eius gentis ab ARISTOTELE fecit, ipſi minime probetur, acri potius eodem loco cenſura notata. Conferri cum his poteſt IOANNIS LAVNOII de PATRITII conatibus iudicium in praeſtantiſſimo *de varia* ARISTOTELIS *fortuna in Academia Pariſienſi* commentario, cap. XIIII. p. 279. ſ. edit. IO. HERMANNI ELSWICHII, candide expreſſum et, quae praeter PETRVM BAYLIVM in *indice Hiſtorico* p 2322. habet HYACINTHVS GIMMA in *Idea della Storia letterata d' Italia* tom. II. cap. XXXVIIII. art. IIII. §. 7. p. 500. et THVANVS apud TEISSIERIVM *Elog.* tom. II. p. 339. PAPADOPOLVS *Hiſt. Gymn. Pat.* tom. II. lib. II. c. XXXV. n. CCXII. p. 258. ſ. PATRITIVM, ait, *Eloquentiae et philoſophiae depoſito tyrocinio diu verſatum Venetiis edidiſſe diſcuſſiones philoſophicas, quibus primus omnium recentiorum poſt* TELESIVM *in doctrinam* ARISTOTELIS *inſurgere, atque eorum ſemina proferre coeperit, ex quibus* GASSENDVS *et* CARTESIVS *ſcholam Peripateticam* inſequuto tempore *nequicquam conuellere conati eſſent; et Romae tamdem deceſſiſſe anno MDXCVIII. aetat. LXVII.*

x) Sic

x) Sic enim vero ANTONIVS PERSIVS in dedicatione libri cuiusdam ex *Syntagmate Teleſiano ad* PATRITIVM: *Cum multa*, ſcribit, legendo TELESII libros, *in iis offenderes, quae, veluti Democritea, Delio quopiam natatore indigerent, me identidem, tamquam in eorum lectione diutius verſatum, ac* TELESII *familiarem, conſulebas. Ego obiicientium ſeſe dubitationum ſcrupulos eximebam quoad poteram. Ita ad calcem operis quum legendo perueniſſes, tam honorifice de eo loqui coepiſti, vt ipſum veteribus philoſophis anteferres. Scripſiſti quoque a me rogatus in eam philoſophiam dubitationes tuas non nullas, quas ad* TELESIVM *transmiſi. Ex eo candidiſſimus philoſophus quanti tuum faceret iudicium haud obſcure ſignificauit, quum deinceps ſua ſcripta ad tuum ſenſum exigere non ſit grauatus.* Egregium vero philoſophi rariſſimae imitationis exemplum! Eodem paullo poſt loco FRANCISCVS etiam MVTVS, *praeclarus* TELESII *propugnator, ingenii et eruditionis laude ornatiſſimus,* a PERSIO commendatur.

y) Prodiit haec *Noua* PATRITII *de vniuerſis philoſophia libris quinquaginta* (totidem ipſe *Operis titulus* numerat, licet LXVIIII. amplius libris illud diſtributum eſſe ἀτοψία docuerit BAYLIVM in *Indice*, loco mox citato) *comprehenſa, in qua Ariſtotelica methodo non per motum, ſed per lucem et lumina ad primam cauſſam aſcenditur, Venetiis* MDLXXXIII. *apud Robertum Megettum*, forma maxima.

z) MORHOFIVS in *Polybiſt.* tom. II. lib. I. cap. XIIII. §. 1. p. 239.

a) SERTORIVM hunc QVATTROMANVM *Academiae Conſentinae florem* vocauit IVLIVS CAESAR CAPACCIVS, in *Elogiis inluſtrium virorum* p. 302. *Phoenicem litteratorum ſui temporis, nulli in omnigena eruditione ſecundum,* ELIAS DE AMATO in *Pantopologia Calabra* p. 120.

b) NICODEMVS *Addizzioni al Toppi* fol. 230. conf. PLACCII *theatrum Pſeudonymorum* n. 1811. fol. 448. Tribuit vero itidem QVATTROMANO, quem pluries citauimus, ELIAS DE AMATO, in *Pantopologia Calabra* p. 121. additque verba quaedam ipſius Epiſtolae ad amicum, vbi profitetur, ideo ſe nomen ſuum reticuiſſe, quod nullam laudem ex hoc ſcripto quaereret: *Io non cerco* (ait) *loda niuna da queſto libro, e vedaſi, che non ci hò poſto il mio nome etc.* Ceterum miramur admodum, AMATVM plane nouam illam QVATTROMANI *Opuſculorum*, quam inuimus, editionem omiſiſſe, vnde plura ad ipſius laudem pertinentia haurire ac referre poterat.

c) Ita enim in ſcriptis vno pluribus latinis ſe ipſum adpellat, quum in hac QVATTROMANI editione Italorum idiomate ſe MATTEO EGIZIO ſubſcribat. Quod ideo monendum fuit, ne quis Italicae linguae non adeo peritus duos ſibi ex vna perſona homines fingat.

d) Confer *Giornale de' Letterati d' Italia* tom. XX. Art. VIIII. p. 298. et adde de AEGYPTIO συμψηφον laudatum ſuperius ANTONIVM BALDASSARI in *Vite de' Perſonaggi illuſtri* p. 351.

e) Repete, ſi placet, *capitis prioris articulum poſtremum* not. f)

f) Ita ad TONIALVM PERSIVS in dedicatione *Teleſiani* libri *de Cometis*: *Tu* TELESII *philoſophiam magno animo amplexatus, maxima cum ingenii et iudicii laude tueris.*

g) ALOYSIVS CORNELIVS, Patauii apud patruum, MARCVM CORNELIVM, bonis artibus rite imbutus ac lauream doctoris adeptus, poſt annum aetatis XXXI. Epiſcopus Paphius ex titulo dictus, vices patrui in adminiſtranda eccleſia Patauina ſuſcepit anno MDLXXXVIIII. ſucceſſionem ſequenti mox anno conſequutus, Patauinus Antiſtes XC. Gymnaſii Cancellarius XXXII. obiit an. MDXCIII. aetat. XXXVII. Laudant ipſum FERD. VGHELLVS *Ital. ſacr.* t. V. p. 460. n. 10. IACOBVS SALOMONIVS *Inſcript. Gymn. Pat.* p. 19. et in primis PAPADOPOLVS tom. I. lib. I. Sect. II. cap. XVIII. p. 112.

h) Maximum hoc in erudita ciuitate nomen et litterarum Maecenatis ſummi exemplum ſingulare quisquis ignorat, nae vero is dignus eſt qui numquam quodam Maecenate perfruatur. Crediderim ego PERSIVM PINELLO amorem TELESII inſpirauiſſe, quem *ſelecta doctrina non minus quam* PINELLI *antiqua familiaritate inluſtrem* adpellauit PAVLLVS GVALDVS, Vicentinus, ſcriptor *vitae Pinellianae* non indiſertus, quae, poſtquam ſigillatim prodiiſſet, exhibita etiam fuit inter *vitas ſelectas* a CHRISTIANO GRYPHIO, clariſſimo homine, paullo antequam fatis ſuccumberet poſtremis conlectas, *Vratislauiaeque* anno MDCCXI. 8. editas, loco vndecimo, p. 357. Ceterum, omiſit GVALDVS hunc PINELLI in TELESIVM fauorem, PERSIO auctore alias teſtatiſſimum, ignotum quibus de cauſſis, commemorare.

i) MERCVRIALEM dubium, ſunt qui dicant non obeſae naris homines, reliquiſſe, vtrum in arte medicinam faciendi, num vero philoſophiae ſtudiis, an denique linguarum veterumque inſtitutorum intelligentia ſigillatim ſe ipſum aeque atque alios antecelluerit, quod omnium harum diſciplinarum exſtiterit ad miraculum fere callentiſſimus. Foro Liuii natus, Patauii philoſophiae Medicinaeque lauream conſequutus eſt. Anno MDLV. ad poſteriorem diſciplinam in illo Gymnaſio docendam vocatus, ab Imperatore MAXIMILIANO II. cui ſanitatem arte ſua reſtituerat, Comitis Palatini Equitisque titulo cohoneſtatus fuit. Poſt plures annos anno MDLXXXVII. Bononiam ſedem ſuam transtulit, quam elapſo fere quinquennio cum Piſis permutauit, quo etiam loco anno MDCVII. in fata vltima conceſſit. Commendarunt ipſius poſteris memoriam, praeter alias de re medica ſcriptiones ſex illis praeſertim *de arte Gymnaſtica* libris commendatiſſimam, THVANVS, CRASSVS, GHILINVS, ERYTHRAEVS, atque in primis ANTONIVS RICCOBONVS *Gymn. Pat.* lib. 2. cap. 30. PHILIPPVS IACOBVS TOMASINVS *Elog. Pat.* l. 1. p. 147. FREHERVS, tom. II. part. III. p. 1319. PAPADOPOLVS *H. G. P.* tom. I. lib. III. ſect. II. cap. XXII. p. 343. et plures fortaſſe alii.

XII

IOANNIS BAPTISTAE MARINI *atque* IVLII RONCONII *in* TELESIVM *epigrammata. Vniuerſi operis concluſio.*

Poteramus iam calamum alacres ponere, poſtquam BERNARDINI TELESII res, ſi non vniuerſas, quas licuit tamen nulli operae in inquirendo, legendo, ſcribendo denique parcentibus, perſequuti ſumus. Reſtant uero adhuc venuſta quaedam *duo in philoſophum noſtrûm Epigrammata, Italicum* alterum IOANNIS BAPTISTAE MARINI, Neapolitani, Poetae inter ſuos ab ingenio hodienum nobiliſſimi; alterum vero *Latinum* IVLII cuiusdam RONCONII; quod vtrumque, ne quid deſit, transſcribere in hunc locum nihil piget. Illud NICODEMI; hoc vero IMPERIALIS diligentia ad noſtri atque poſterorum voluptatem ſcriptis toties iam adpellatis transtulit. MARINI hoc eſt:

Contro l' inuitto Duce
Della Peripatetica bandiera
Armar l' ingegno oſaſti,
O de la Bruzia k) *gente onore e luce.*
E, ſe ben di ſua ſchiera
La palma non portaſti;
Tanto ſia, che ti baſti.
Poichè la gloria e la vittoria vera
Delle impreſe ſublimi ed onorate
E, l' auerle tentate. l)

MARINVM ante oculos habuiſſe, immo vero concepto ſtudio latinis verſibus, liberius tamen, exprimere voluiſſe RONCONIVM, ſenſus docet. Ita vero ille:

Doctrina inſigni mira et TELESIVS *arte*
Dogmata ARISTOTELIS *vincere docta putat:*
Nititur at fruſta: puris fulgentior aſtris
Emicat e tanto littera ſcripta Sopho.
Sed potis ingenio ſaltem celebrandus abibit
Aemulus in tantum qui tulit arma virum.

Cede-

Cedere non turpe eſt; ſed contendiſſe decorum.
A victore decus ſic bene victus habet.

Iam vero dimittimus vel tamdem bonae mentis lectorem, et, vt ipſi in perpetuum bene ſit, ſerio optamus.

k) *Brutiorum*, ſiue *Bruttianorum*, ex CATONIS vſu apud GELLIVM *Noct. Atticarum* lib. X. cap. III. quos et Βρενζιας, h. e. *fugitiuos* veteri *Lucanorum* lingua dictos volunt priſci quidam, *Brutiorum* inquam, nomine illi olim dicti fuerunt populi, qui *Conſentiam*, *Terinam atque Rhegium*, quatuor oppida, Romanorum aetate tenebant, quod ad Annibalem bello ſecundo Punico turpiter deſciuiſſent Romanis maximo opere exoſi. vide PETRVM CRINITVM *de honeſta diſciplina* lib. II. Cap. VII. atque in primis CHRISTOPHORI CELLARII *notitiam orbis antiqui* libro II. cap. VIII. Inde MARINVS antiquo ſtilo *Brutiam gentem* adpellauit pro *Conſentinis*, ex quibus ortus fuerat TELESIVS.

l) ELIAS DE AMATO in *Pantopologia Calabra*, p. 129. itidem hoc MARINI retulit Ποιήματιον. Vbi vero ſimul addit: quod MARINVS, *ſi noſtro* (hoc eſt praeſenti Saeculo XVIII.) *vixiſſet aeuo*, *haud in ſua* Galleria *de Bernardino* ita *ceciniſſet*, videri poterat innuere velle *totam Calabriam* hac tempeſtate factam fuiſſem *Teleſianam* atque perſuaſum habere, non intra *conatus* ſolum TELESII Αριστοτελομαχιας ſubſtitiſſe, quod MARINVS prae ſe fert, ſed victorem ipſum triumphare hodienum de Stagirita. Hoc an ita ſe habeat, non exploratum nobis, dubium tamen valde, eſt; ſi quidem recentiſſima duo de illarum regionum Philoſophia, qualis nunc eſt, ſcriptores, GIMMA atque CAPASSVS hanc in rem ne verbulum. Interim fauere *noſtro* AMATVM ibidem quod legitur clarum facit, dum *inter eximias eius laudes referendum* ait *loco non minimo*, *quod nullus viro hoc*, *nec diffitente inuidia*, *praeclarius ſit meritus de tot Philoſophis*, *qui huc vsque ſcripſere.* Nos autem horum verborum ſenſum, quei in TELESIVM quadrare poſſit, non capimus; aptum magis ad deſcribendum laudes auctoris eiusdam qui *Philoſophorum* aliquem *Catalogum* vel *Bibliothecam* texuit, mereturque adeo bene de illorum nominibus quae ad poſteritatis memoriam transfert. *Tacite*, addit, *venerandum nomen*, *quod orbis praedicet vniuerſus;* ob ſimilis Pontificii fulminis metum quod *Teleſiana* olim ſcripta percuſſit. Concludit denique: *totam Philoſophiam Elogiis, Poematibus, Epitaphiis in ſui* (ipſius) *laudem proclamare.*

I. AVCTO-

I
AVCTORVM OMNIVM PERSONARVMQVE INLVSTRIVM INDEX

Romano numero ſignantur nomina quae in *Praefatione* occurrunt; *Arabico* ceteri.

A

Alami, Tobias, 58
Aegyptius, Matthaeus, 57. 61
Alexandro, Alexander ab 22
Allatius, Leo, 5
Amalthaeus, Hieronymus, 10. 11. 12
Amato, Elias de, 4. 7. 9. 16. 17. 61. 64
Anaxagoras, 41
Anaximenes, 20. 41
Antiſthenes, 20
Aquino, Ioannes Paullus, di 26
Archelaus, 38
Ardomus, Ioan. Antonius, 26
Aretinus, Petrus, 9
Ariſto, Chius, 20
Ariſtoteles, 6. 11. 12. 14. 19. 21. 22. 23. 25 29. 34. 37. 38. 43. 45. 46. 47. 48. 50. 51 52. 56. 60. 63.
Arnoldus, Ioan. Conradus, 37
Arpius, Petrus Friedericus, 53
Auerroës, 43

B

Baccus, Henricus, 26
Baldaſſari, Antonius, 60. 61
Bandinellus, Vbaldinus, 13. 14. 18
Baranzanus, Redemtus, 41
Barbarus, Hermolaus, 17
Barrius, Gabriel, 12
Barthius, Caſpar, 9
- - Chriſtoph Godfried, 20
Bayſius, Lazarus, 7
Baylius, Petrus, 14. 60. 61
Bembus, Bernardus, 20
Beſoldus, Chriſtophorus, 58
Beſſarion, Cardinalis, 35
Biekius, Ioan. Fridericus, 31
Brancha, Ioan. Franciſcus, 55. 59
Brunus, Iordanus, 23. 37. 50
Budaeus, Guilielmus, 20
Buddeus, Ioan. Franciſcus, 14
Bulaeus, Caeſar Egaſſius, 22
Bulfinger, Georgius Bernardus, 25
Burmannus, Petrus, 54
Burnetius, Thomas, 12

C

Caeſalpinus, Andreas, 30
Campailla, Thomas, XI
Campanella, Thomas, 23. 32. 34. 35. 37 39. 40. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 58 59 60.
Capaccius, Iulius Caeſar, 61
Capaſſus, Ioan. Baptiſta, X. 12. 64
Carafa, Ferdinandus, 27
Cardanus, Hieronymus, 35
Carpentarius, Irenaeus, 17
Carteſius, Renatus, 20. 30. 35 39. 60
Caſa, Ioannes della 13. 14. 18
Caſotti, Ioan. Baptiſta, 15
Caſtilionaeus, Fabricius, 4
Cato, 64

Catullus, 20
Caualcanti, Iulius, 26
Cellarius, Chriſtoph. 64
Celtes, Conradus, 20
Charletonius, Gualterus, 35
Chiosarelli, Bartholomaeus, 4
Chioccus, Andreas, 51. 52. 54. 56. 60
Cicala, Fabius, 26
Cicero, M. Tullius, 20. 48
Clemens, Alexandrinus, 5. 36
Colomeſius, Paullus, 12
Conringius, Hermannus, 22
Cornelius, Aloyſius, 58. 62
- - Marcus, 62
- - Thomas, 37
Cotta, Rodriguefius, 9
Craſſo, Laurentius, 59. 62
Crenius, Thomas, 33. 34
Creſcimbeni, Ioannes Maria, 14
Crinitus, Petrus, 64
Cudworth, Radulphus, 38
Cyprianus, Erneſtus Salomo, 32. 40 58. 60.

D

Delphinus, Friedericus, 10
Democritus, 33. 40. 41
Demoſthenes, 20
Digby, Kenelmus, 39
Dornauius, Caſpar, 7

E

Echardus, Iacobus, 37. 58
Ehrenberger, Henricus Bonifacius, 37
Elswich, Ioan. Hermannus ab IIII. 60
Empedocles, 60
Epicurus, 40
Erythraeus, Ianus Nicius, 18. 53. 59 60. 62.

F

Fabricius, Ioannes Albertus, 5. 7. 22 26. 38. 39.
Fellerus, Ioachim. Fridericus, 58
Fera, Camillus, 20
Feuerlinus, Iacob. Guilielmus, VIII
Ficinus, Marſilius, 19. 20. 35
Fogelius, Martinus, VII
Freherus, Paullus, 12. 62
Frey, Ianus Caecilius, 51. 52. 54
Frezzi, Fridericus, IIII

G

Gaddius, Iacobus, 14
Galenus, 29. 43. 59. 60
Galilaeis, Galilaeus a 37. 39
Gallius, Ptolomaeus, 82
Gaſſendus, Petrus, 38. 39. 60
Gellius, Aulus, 64
Genzkenius, Fridericus, 37
Georgius, Benedictus, 58
- - Franciſcus, 35
Geſnerus, Conradus, 6. 7
Ghilini, Hieronymus, 14. 21. 54. 62
Gilbertus, Anglus, 37
Gimma, Hyacinthus, 22. 24. 25. 26 31. 37. 39. 60. 64.
Graeuius, Ioannes Georgius, 5
Grotius, Hugo, 30
Grubinius, vide ***Scioppius.***
Gryphius, Chriſtianus, 62
Gualdus, Paullus, 62
Gundlingius, Nicolaus Hieronymus, 14. 15. 31.
Gyraldus, Lilius Gregorius, 14

H

Hamel, Ioan. Baptiſta du 25
Heinſius, Daniel, 20
Helmontius, Ioannes Baptiſta, 39
Hendreichius, Chriſtophorus, 14
Heumannus, Chriſtophorus Auguſtus, 28. 33. 40. 50. 54. 59.
Hippocrates, 43.
Horatius, 7. 20

I

Iarkius, Ioannes, 26
Imperialis, Ioannes, 5. 7. 11. 12. 14. 24. 25 27. 63.
Ioecherus, Chriſtian Gottlieb, VIII
Iouius, Paullus, 7. 9
Iunius, Franciſcus, 5
Iuſtus, Volfgangus, 22

K

Kahlerus, Ioannes, 46

Kircherus, Athanaſius, 20
Kranſius, Ioannes Gottlieb, 25. 27

L

Laërtius, Diogenes, 36. 38
Laſena, Petrus, 22
Launoius, Ioannes, 60
Lipenius, Martinus, 7
Lipſius, Iuſtus, 35
Long, Iacobus le 54
Lucretius, 6
Ludouici, Ioannes Petrus, 20
Lullius, Raimundus, 35
Lutherus, Martinus, V. VI. VII

M

Madius, Marius Ioannes, 19. 21
Magliabecchi, Antonius, 31. 53
Magnenus, Io. Chryſoſtomus, 35
Mantuanus, Solinus Antonius, 51. 53
Marinus, Ioan. Baptiſta, 63
Marta, Iacobus Antonius, 51. 53. 55 56 59. 60.
Martelli, Franciſcus, 31
Martirianus, Bernardinus, 9
Menagius, Aegidius, 15
Menckenius, Ioan. Burchardus, 59
Menzius, Friedericus, VIII
Mercurialis, Hieronymus, 58. 62
Michaëlius, Ioannes, 20. 58
Miraeus, Aubertus, 14
Mocenicus, Philippus, 30
Montanus, vide *Quattromani*, Sertorius.
Morellus, Coſmus, 26
Morhofius, Daniel Georgius, 25. 31 33. 34. 37. 43. 45. 48. 57. 60. 61.
Morus, Henricus, 35
- - Thomas, 20
Mourgues, Michael, 38
Mutus, Franciſcus, 61

N

Naudaeus, Gabriel, 58
Negelinus, Ioachim, 22
Negri, Iulius, 14
Niceron, Petrus, 41
Nicodemus, Franciſcus, 4
- - Leonardus, 4. 5 7. 30. 31. 53 54. 57. 61. 63.

O

Olearius, Godfridus, VIII
Origenes, 38. 39
Ouidius, 20

P

Papadopolus, Nicolaus Comnenus, 11 12. 13. 14. 15. 18. 21. 23. 24. 25. 27. 51 53. 54. 60. 62.
Paracelſus, Theophraſtus, 35
Parmenides, 33. 35. 36. 38. 39. 40. 41. 43
Patinus, Vitus, 28
Patrizius, Franciſcus, 37. 41. 51. 54. 56 57. 58. 60. 61.
Pendaſius, Federicus, 58
Perazzo, Ioan. Benedictus, 59
Perſius, Antonius, 20. 29. 31. 34. 43 54. 56 57. 60. 61. 62.
Philoponus, Ioannes, 38
Pigliarini, Iuſtinianus, IIII
Pinellus, Ioannes Vincentius, 58. 62
Placcius, Vincentius, 54. 61
Plato, 20. 59
Plinius, 20. 59
Plutarchus, 36. 39
Poiretus, Petrus, 20
Politianus, Angelus, 20
Popebleont Thomas, 14
Porta, Ioannes Baptiſta, 26
Portinari, Angelus, 53
Poſſeuinus, Antonius, 14
Pufendorf, Eſaias, 20
Pythagoras, 37. 38. 41

Q

Quattromani, Sertorius, 26. 54. 57. 61

R

Ramus, Petrus, 12, 35
Rapinus, Renatus, 23. 34. 50. 60
Reimannus, Iacobus Fridericus, 20
Reuchlinus, Ioannes, 35
Reuſnerus, Nicolaus, 7
Ribouius, Georgius Henricus, 47
Riccobonus, Antonius, 62
Rouconius, Iulius, 63. 64

Rorarius, Hieronymus, 47
Roſſi, Ioan. Petrus, 26

S

Salomonius, Iacobus, 62
Sanctorius, Paullus Aemilius, 12
Saxius, Ioſephus Antonius, 8
Scaliger, Ioſephus, 48. 50
Schelhornius, Ioan. Georgius, 20. 32
Schmidius, Ioannes Andreas, VIII
Schradero, Laurentius, 9
Scioppius, Gaſpar, 31. 35
Seuerinus, Danus, 37
Sextus, Empiricus, 38
Simplicius, 36
Sirletus, Guilielmus, 12
Socrates, 20. 38
Sorellus, Claudius, 33. 34. 53
Spizelius, Theophilus, 20
Sprat, Thomas, 25
Stanleius, Thomas, 40
Stephanus, Henricus, 36
Stobaeus, 36
Stollius, Gottlieb, 9. 25. 28. 39
Struuius, Burcardus Gotthelff, 26
Stubenberg, Iohannes Vilelmus de 33
Suidas, 38

T

Teiſſier, Antonius, 7. 9. 12. 13. 52. 60
Teleſia, Diana, 17
Teleſius, Antonius, 5
- - Bernardinus, vide Indicem rerum.
- - Guilielmus, 5
- - Ioannes, 20
- - Ioannes Baptiſta, 5
- - Nicolaus, 5
- - Thomas, 5. 15. 16. 27
Thales, 20
Thomaſius, Iacobus, 58
Thuanus, Iacobus Auguſtus, 7. 9. 13 14. 15. 60.
Tollius, Cornelius, 59
Tomaſius, Phil. Iacobus, 62
Tonialus, Ioannes Iacobus, 58 61
Toppius, Nicolaus, 3. 6. 7. 8. 20. 24 37. 53. 57.
Toſcanus, Ioan. Matthaeus, 7

V

Vagnerus, Godfridus, 17
Valchius, Ioan. Georg. IIII
Valle, Fabricius della 26
Vaninus, Iulius Caeſar, 23
Verulamio, Franciſcus Baconus de, 2 20. 23. 25. 32. 33. 34. 35. 36. 39. 40. 41 43. 44. 45. 48. 49. 50.
Vghellus, Ferdinandus, 5. 14. 15. 16. 62
Vittenius, Henningus, 52
Vockerodt, Godfrid, 25
Volfius, Ioan. Chriſtoph. 12. 39
Vrſinus, Laelius, 56. 60

X

Xenophanes, 36. 38
Xylander, Guilielmus, 39

Z

Zarata, Chaldaeus, 38
Zeno, 22
Zornius, Petrus, 22

II. RE-

II

RERVM MAXIME COMMEMORABILIVM SYLLABVS ALPHABETICA

A

Academiae Conſentinae, ſiue *Teleſianae* hiſtoria, 24. *ſociorum* praecipui adpellati, 26

Amalthaeus, Hieronymus, doctor Patauinus, *Teleſii* praeceptor, quis, 10. 12

Archi-Epiſcopatus Conſentiae Teleſio oblatus, 15. 16

B

Bandinellus, Vbaldinus, Teleſii familiaris, 13. 14

C

Calabriae viri illuſtres ſingulari ſcripto expoſiti 5

Campanella, Thomas, praecipuus *Teleſiani* ſyſtematis propugnator, 54-56. qui de illo ſcripſerint, 58

Caſa, Ioannes della, amicus *Teleſii*, 13. qui de illo ſcripſerint, 14

Chioccus, Andreas, aduerſarius *Teleſii*, 52 quis fuerit, 54

Conſentia, Calabriae vrbs clariſſima, 3. foecunda doctorum mater, 4. de illius nobilibus ſingularis Caſtillionei liber, ibid. *Conſentinae* Academiae hiſtoria, 24

D

Delphinus, Fridericus, Profeſſor Patauinus, Teleſii doctor, quis 10. 11

Diana Serſali, Teleſii vxor, 17. mor- 18

E

Epigrammata duo in laudem *Teleſii* recenſita, 63

F

Frey, Ianus Caecilius, oppugnator *Teleſii*, 52

G

Graecae linguae ſtudium, ſtrenue a Teleſio cultum, eiusque fructus, 6. 12

I

Imperialis cenſura philoſophiae *Ramaeae* iniqua, 12

Inſtaurator in Philoſophia quis dici ſoleat, 35. Talis fuit *Teleſius*, 36

Interpretum Ariſtotelis exiguum fere pretium, 12

Italis prima vindicatur laus inſtitutarum Societatum eruditarum contra Anglos et Gallos, 25

M

Marta, Iacobus Antonius, impugnator placitorum *Teleſii*, 50. quis fuerit, 53

Martelli, Franciſcus, Phyſicam *Teleſii* Italice conuertit, 31

Martirianus, Bernardinus, patronus *Teleſii*, quis, 9

Matrimonii apud *eruditos* incommoda, 17

Mediolanenſium ſtudiorum hiſtoriam ſcripſit Ioſ. Ant. Saxius, 8

Mercurialis, Hieronymus, *Teleſii* patronus, 58. quis fuerit, 62

N

Nouator in Philoſophia quis dici ſoleat, 35. Talis fuit *Teleſius*, 36

P

Parmenidis principia Phyſica recoxit *Teleſius*, 36. 38

Patauini Gymnaſii Hiſtoriam eleganter commentatus eſt Papadopolus, 11

Patritius, Franciſcus, Philoſophiae *Tele-*

Teleſianae Hyperaſpiſtes, 56. qui de illo ſcripſerint, 60

Perſius, Antonius, amicus *Teleſii* praecipuus, 29. edit eiusdem opuſculorum ſyntagma, ibid. eius laudes, 31. 57

Philoſophia Teleſii a quibus ante nos recenſita, 32. ſ.

Philoſophus caelebs felicior vxorato, 18

Pinellus, Ioannes Vincentius, *Teleſii* patronus, 58

Principia naturalium rerum quae, ex mente *Teleſii*, 42

Q

Quattromani, Sertorius, Teleſianae Philoſophiae fautor inſignis, 57. 61

R

Romae vrbis obſidio per Imperatorem Carolum V. 9

S

Seceſſus litterarii commoda, 19. et priſci recentiorisque aeui exempla, 20

Senſui pretium ſuum *Teleſio* in inquirendis naturalium rerum cauſſis conſtitutum, 39

Serſali, familia nobilis Neapolitana, 17

Societatum eruditarum Italiae hiſtoriam ſingulari olim commentario inluſtrabit cel. *Krauſius*, 27

T

TELESIA gens vetuſta et nobilis, 5 eius arma gentilitia quae? ibid.

TELESIA, Diana, Bernardini vxor, 17

TELESIVS, Antonius, 5. eſt praeceptor *Bernardini*, patruelis, 6. 8. eius ſcripta et laudes, doctrinae et virtutis inſignes compendio recenſitae, 7. docet Mediolani bonas litteras priuatim, ibid. mox Romae ſtipendio publico, 8. Canonici dignitas et obitus Conſentiae, ibid.

- - BERNARDINVS, eius patria et maiores nobiles, 4. 5. ſtudiorum tyrocinia Mediolani poſita, 6. linguae latinae et Graecae, antiquitatum item et Poeſeos cultus, ibid. Romae continuatus, 8. ſed carceris incommodis ad tempus interruptus, ibid. libertas reſtituta, 9 Patauii quos doctores coluerit, 10 Magiſtri titulus ibi impetratus, 11 reditus Romam, et amici ſtudiorum communione conciliati, 13. Archi-Epiſcopi munus oblatum a *Paullo* IIII. P. M. ſed recuſatum, 15 matrimonium cum *Diana Serſali* initum, 17. et morte finitum, 18 ſeceſſus litterarius, 19. ſcripti tum *de natura rerum* libri, et eius commatis alii, ibid. plauſus, quo excepti illi fuerunt paſſim, Neapoli praeſertim, 21. ſedes in hac vrbe fixa, et *Academia* ibi inſtituta *Teleſiana* 24. ſ. obitus, 21. ſcriptorum elenchus, 28 - 31. *Philoſophiae Teleſianae* ratio, 32. laudes et cenſura, 47. aduerſarii, 51. patroni, 54. Elogia *Teleſii* duo poetica, 63.

- - *Guilielmus*, quis, 5

- - *Ioannes*, quis, 20

- - *Ioannes* Baptiſta, quis, 5

- - *Nicolaus*, quis, 5

- - *Thomas*, Archi-Epiſcopus, 5 15. 16. 27

- - Athenienſis, ſculptor priſcus, 5

Thileſius et *Thyleſius* minus recte ſcribitur pro *Teleſio*, 5

V

Verulamio, Franciſcus Baconus de, Syſtematis *Teleſiani* explanator, 32 et cenſor, 48. ſ.

F I N I S